



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Libri Tertii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

HORATII TVRSELLINI
 E SOCIETATE IESV
 LAVRETANAE HISTORIAE
 LIBER TERTIVS.



A Paulo Tertio beneficijs, decretisque decoratur.

Cap. I.



Pauli III.
beneficia.

ONTIFICIAM inde sedem Paulus Tertius excepit, qui Aede Lauretana ornanda, augendaque etiam cum ipso Clemente certavit. Namque initio fermè Pontificatus sui, & Indulgentiis eam, & beneficiis cumulavit. Quippe indignum ratus, sacrae Domus ministros ad usum dome-

sticum vix pecunia emptum salem habere posse; vicenos eis quotannis salis saccos ex Ceruiæ salinis assignavit gratuitos, non contemnendum beneficium, siue muneris perpetuitatem, seu necessitatem accipientium, siue dantis animum spectes. Eminent Pontificis animus in diploma-

Pauli III.
testimoniū.

tis procemio, quod libet attexere: *Postquam fel. rec. Xystus Papa Quartus prædecessor noster inter alia motu proprio Ecclesiam B. Mariae de Laureto, olim in honorem ipsius Virginis miraculosè fundata: in qua (prout fide dignorum habet assertio) ipsius etiam Virginis gloriosa imago Angelico comitata cætu, mira Dei clementia collocata existerat, & ad quam propter crebra, & stupenda miracula, quæ eiusdem Virginis gloriosa meritis, & intercessione ibi Altissimus operabatur, in dies ex di-*

uersis

uersis mundi partibus etiam remotissimis, Virginis gloriose liberati praesidijs populi confluebat multitudo, & paulo post. Recolenda memoria Iulius Papa Secundus praedecessor noster attendens, quod non solum erat in dicta Ecclesia de Laureto imago ipsius B. Virginis Mariae, sed, (ut pie creditur, & fama est) camera, siue thalamus, ubi ipsa Beatissima Maria concepta, & educata, ubi ab Angelo salutata Salvatorem seculorum concepit. Caetera item persequitur, quae in suo diplomate Iulius Secundus posuerat.

Lauretum Recinetensium fidei committitur.

Cap. II.

PAulus porro haud ignarus, quantum boni sit in bono Praeside, id semper egit, ut optimos Laureto Praesides daret, donum omnium fortasse maximum. Alexander igitur Argolus Tarracinensis Episcopus à Pontifice Lauretano Patronus constitutus, rem Lauretanam praclare constituit, auxitque. Doctorum, grauiumque hominum complures in Canonicorum Lauretanorum Collegium cooptauit. sacrorum caeremonias solemniter, ac plane Pontificali peregit ritu, summa denique religionis, ac benignitatis laude, diuina, humanaque omnia per quadrienniū administravit. Huic Gaspar Contarenus Cardinalis, vel ingenij dotibus, vel artibus animi clarus successit, Laureti Patronus omnino bonus, sed mortis interuentu breuis. Nam cum per Galeatium Floremontium (qui postea Aquini Antistes fuit) rem Lauretanam optimè gereret, ingenti sui expectatione concitata, cessit è vita. Eius in locum successit à Pontifice Rodolphus Pius Cardinalis Carpenensis Patronus iuxta bonus, ac diuturnus. Qui sane Pij cognomen, etiam si à maioribus non accepisset, insigni sua pietate fuisset sibi pariturus. Non alius ante impensius Lauretanam Aedem ornare institit. Itaque eius in-

Alex. Argolus Laur. Patron.

Card. Contar. Laur. Patr.

Card. Carpen. Laur. Patr.

Recineten-
sū legatio
ad Paulum
III. Pont.

Lauretano templo, adiectisque ædibus hodie monumenta
exstant & multa, & illustria. Inter hæc gliscebatur Turci-
cum bellum, quod Solimanus Turcarum Imperator Tu-
netano regno per Ariadenum Aenobarbum subacto, Ita-
liæ moliebatur. Paulus ergo Pontifex Carolo Cæsare, ac
Venetis in societatem adscitis, in Turcicum bellum om-
nes intenderat curas viresque. Cæterum illa tempesta-
te Lauretano templo vel in primis consultum voluit. Et
quoniam exhausto in apparatus bellicum ærario, pecu-
niæ inopia pijs eius consilijs obstabat; occasionem forte
oblatam sibi è manibus elabi passus non est. Per idem
tempus Recinetensium legati Romam ad Pontificem ve-
nerant expostulantes, quod Lauretum, auita ipsorum pos-
sessio, à Iulio Pontifice ereptum eis esset ingenti cum dā-
no, maiore cum dedecore ciuitatis suæ. Quem enim exi-
stimaturum à sacrorum Principe, Christique Vicario, sine
gravi aliqua causa, antiquissimam Laureti possessionem
Recinetensibus inuitis ademptam? Quo autem suo meri-
to, tam insignem optimæ meritæ ciuitati iniustam infamię
notam? An quia Lauretanæ Virginis sedem impense ab
initio fouerit, donis coluerit, templo ornauerit, frequen-
tauerit tectis, per CCL. prope modum annos iustè, san-
ctèque rexerit? Quando à Recinetensium Magistratibus
auarè, aut superbè esse imperatum? quando incolarum,
peregrinorum templi tutelam neglectam? Iam quoties
latronum vias, obsidentium audaciam repressam? quo-
ties Aedem ipsam magnis armatorum præfidiis ab hostiū
incuria defensam? En cur Recinetenses libenter memo-
rarent, Deipara Virgo natalem domum suam in Italiam
transferens in nostra potissimum sylua sedem elegit: ter
intra paucos menses locum mutans nostris finibus non
excessit: tres in nostro agro locos suis vestigijs insignes fe-
cit: nos illi satis spatii ad templum concessimus: nos tem-
plum, nos vicum circa eam condidimus: nos incolis Ma-
gistratus & iura dedimus. Multum vero ista eis profuisse,
vt eum

vt eum locum optimo iure possidere viderentur : si quidē
 indicta causa, sint de antiquissima possessione deiecti.
 Quod si æquum videatur, munus à Deo, Deiparæque Re-
 cinetensibus datum à Dei Vicario reddi; profecto ipsos da-
 tuos operam, vt neque Pontificem, neque Lauretanos
 Recinetensis tutelæ ac regiminis pœniteret. Recineten-
 ses porro, vt vtrisque cautum foret, nullam conditionem,
 quam æquissimus Pontifex imponeret, recusaturos. Ergo
 Paulus Legatis benignè auditis, medium quiddam secu-
 tus est, vt & Recinetensibus suum redderet, & tamen Ae-

Lauretū Re-
 cinetē sibus
 redditur.

di Lauretanæ superiorum Pontificum beneficia conserua-
 ret. Igitur oppidum Lauretum (templo excepto, & salua
 Præsidis iurisdictione inter oppidanos peregrinosque) Re-
 cinetensi ciuitati restituit, his conditionibus, vt Laureta-
 nam domum aduersus Turcam valido præsidio tueri, mu-
 ros, ac munimenta sicubi opus foret, reficere: peregrinis
 vltro citroque commeantibus itinera à latronibus tuta
 præstare deberent. Ad hæc octo aureorum millia à Leo-
 ne X. in Laureti munitiones insumpta Pontificali Fisco,
 vnde erant deprompta, remunerarent ad vsum Turcici
 belli. Ita Lauretum ad Recinetensium ditionem redijt se-
 culi huius anno xxxv. post annum circiter xxx, quam à
 Julio II. sui iuris factum erat. Cæterum exinde Paulus
 bello perfunctus Lauretanam Aedem præsidij munitam
 prædijs locupletauit. Namque eius iussu ex Duumuiris
 Castri Ficardi vicina Laureto nemora cum adiacen-
 tibus vineis, pratis, oliuetis coempta sunt. In
 eam rem sex aureorum millia ex ærario
 Pontificis erogata. Alia porrò præ-
 dia circa Musionem annem
 à Pontifice empta, &
 Lauretanæ Virgi-
 ni donata.

Con-

Contubernium puerorum instituitur, qui Lauretanae Virgini laudes canant.

Cap. III.

NEc fortunis tantum Lauretana Aedes, sed etiam ministris per id tempus aucta. Pontifex satis gnarus integræ pueritiæ preces Deo Deiparæque acceptissimas esse, Collegium duodecim alumnorum instituit. Ibi lectissimos ex omni Piceno pueros ingenuos impuberes institui iussit, ad laudes B. Virgini decantandas. In his porro legendis, corporum animorumque integritatem spectari, in instituendis optimorum magistrorum rationem haberi voluit. Præcipua erat cura, vt non minus castitate morum, quam suauitate vocum sanctissimam Virginem delinirent. Ergo hi ex præscripto Pontificis in opportuno loco (Canonicam vocabant) intentiore cura educati, institutique B. Mariæ carmina in eius sacello, statis quotidie canebant horis, pacem ac veniam à Deo Deiparæque orantes, & opem Italiæ contra Turcarum rabiem exposcentes. Nec puerilis pietas Pontificis spem, nec B. Virgo pueriles preces sefellit. Et si enim foederatorum Principum classem Ducum discordia inutilem fecit; tamen Deipara Virgo & otium Italiæ peperit, & Turcarum audaciam fregit. Quippe haud ita multo post compositis inter Cæsarem, Galliæque regem controuersijs, ex tristi bello læta repente Italiæ pax reddita. Maxima instructissimaque Turcarum classis Ariadeni Aenobarbi ductu exitium Italiæ ferens, ipso mense Augusto Acroceraunijs illisa scopulis in conspectu propemodum Aedis Lauretanæ fecit naufragium. Quo naufragio satis constat maximam classis partem amissam: viginti barbarorum millia hausta fluctibus: totumque ferme Adriaticum sinum hostium cadaueribus, armis, tabulis, armamentis alijsque naufragij

*Paul. Iou.
lib. 41.
Ann. Laur.
Ricæ.*

gii indicijs stratum. Quorum arma ad Lauretum fluitantia cognita in littore, prius fere quam nunciari posset, insignem fecerunt hostium cladem. Ibi enim vero exultare Lauretani, aduenæque: auditas profecto à Deo Deique parente preces puerorum piorumque. aperuisse aliquando oculos ultorem Turcicæ superbiæ Deum: alius alium hortatione firmare, talem vt Præsidem præcipuo colerent honore, cuius præsidio totam illam Italiæ oram cernerent præfenti Turcarum formidine liberatam.

Nosocomium, & Xenodochium excipiendis peregrinis aperiuntur. sacra Aedes ædificijs ornatur.

Cap. I V.

AT Pontifex tali nuncio admodum lætus, ne benignior in indigenas, quam in peregrinos foret; Nosocomium Laureti eadem fere tempestate absolutum aperuit, ægris aduenis præcipue curandis. Alius porro locus scabiosis, leprosisque extra moenia, ne quid cæteros eorum contagio læderet, assignatus. Ab ægris inde ad sanos cura conuersa, Xenodochium pauperibus peregrinis excipiendis institutum, vbi benigne alebantur per triduum: & discedentes pane, vino, calceis, pecunia iuuebantur. Hæc hospitalitatis, & Christianæ charitatis fama, mirum quantum vel aduenis religionis, vel Lauretano templo opum adiecerit; cunctis ferme exteris gentibus expertam in suis peregrinis Lauretanam benignitatem remunerantibus. Adeo vera in pauperes liberalitas auget magis opes, quam minuit. Deus quippe benignitatis fontem, ne exhauriatur, bonis identidem auget; ac benignis largitoribus benigne suppeditat, quod deinceps egentibus largiantur. Nec vero dum exardescunt hæc Christianæ caritatis officia, Lauretana opera à Clemente inchoata interim refrixere. Nihilominus Pauli iussu syluæ
noxia

Nosocomia
& Xenodoc.

Hospitalitas
Lauretana.

noxia cædebantur: nebulosæ siccabantur lacunæ: colles Lauretanæ sedi officientes ad solum diruebantur. Surgebant eodem tempore ædes Pontificiæ: exstruebatur porticus: templi tholus plumbeis integebatur laminis: magnifica illa sacrosanctæ Domus cælata crusta (quæ haud procul fastigio aberat) præcipuè vrgebatur. Iam peruetustum, ac fumosum lacunar tectumque architectus ex Pontificis autoritate deiecerat. Et quia concamerandi sacelli ratio exigebat, summos etiam parietes semicirculis, & pictis fictilibus insignes pariter cum tintinnabuli, camini que culminibus, demolitus erat. Igitur solidus fornix nouis magis, quam veteribus parietibus incumbens, imponitur: nitidus tum quidem, & concinnus erat; sed hodie propter copiam luminum horridus fumosusque. Porro ne ea, quæ ex augustissima Virginis cella necessitas detraxerat, hominum incuria perderet, sacras trabes, asferes, tegulas, tabulasque, & quæcunque ad tectum sanctissimæ Aedis pertinebant, sub eiusdem pauimento defodi placuit. Itaque hæc cum fide inibi sunt defossa: vt loco mota, quam minimum locum mutarent.

Reliquiæ sacelli Lauretani miraculis fulgent, & Aedis Lauretanæ religionem propagant.

Cap. V.

CAeterum fictilia, & quædam laqueati tecti tabulæ, pro sacris reliquijs, vt erāt, asseruata, partim miraculorum materiam præbuerunt, partim etiam Aedis Lauretanæ religionem longe, ac late propagarunt. Vetus opinio erat, vasa illa fictilia in armario B. Virginis ab Apostolis olim reperta, atque idcirco cum Natalis eius domus consecraretur, ab iisdem in summis sacelli parietibus collocari iussa non ornandæ magis ædis gratia, quam illorū religionis tuendæ. Adiuuabant hanc opinionem quædam

non

non leues coniecturæ, quæ multis fidem facere videban-
 tur, fictilia illa in supellectili Deiparæ fuisse. Namque ea
 vascula (quod ex ijs ipsis, quæ hodie exstant coniectari li-
 cet) haud sane à vilioribus, vulgatisque vsu abhorrent:
 & magnitudine sunt inter se longe imparia, cum tamen
 cultus ædis, & semicircularum ratio paria vtique postula-
 ret: vt appareat non tam illa ad sacelli ornatum esse quæ-
 sita, quam ad ipsa ornatum sacelli accommodatum. Ve-
 rum siue illæ patinæ è B. Mariæ supellectili, siue ex medio
 sumptæ ad cellæ ornatum, haud immerito cum ipsa Vir-
 ginis cella dedicatę religionem habuerunt. Plærāsque ta-
 men earum intercidisse reperio, ad propagandam Laure-
 tanæ Virginis religionem, vt reor interuertas. Nonnullæ
 in Lauretani Templi pariete ad ianuam, quæ est ab latere,
 insertę hodieque visuntur. Pauca afferuantur haud qua-
 quam miraculorum expertes. Compertum habeo Laure-
 ti sacerdotem mihi notum grauius ex capite laborantem,
 sacra capedine capiti admota, subito conualuisse. Alte-
 rum item sacerdotem graui febris afflictatum, hausta indi-
 dem frigida, extemplo morbum depulisse. Porro sacrarum
 tabularum reliquię religionem Lauretanæ Domus toto
 propemodum orbe protulerunt. Quippe vt semel disper-
 tiri sunt cœptæ, alijs ab alijs diuisæ ad omnes propemo-
 dū nationes peruenere: ac pro sacris reliquijs, vt par erat
 habitæ, mirandum in modum Lauretanæ Virginis auxe-
 re cultum, cuius religione imbutas quodammodo illas ef-
 se constaret. Ac verisimile est per hanc occasionem pluri-
 mis locis Lauretanæ Virginis ædes excitatas, siue tanti
 præsidij ad populos monumenta, siue solatia eorum, quos
 aduersa valetudo, aut occupationes, aliaue impedimen-
 ta Lauretum ire prohiberent. Satis constat per id maxi-
 me tempus, non in Piceno solum & Italia, sed etiam in
 transalpinis, disiunctissimisque regionibus esse sacella
 Lauretanæ Virgini exstructa. Quorum conditoribus quid
 optatius esse potuit ad illarum ædium religionem, quam

Q

aliquid

aliquid ex Lauretana Domo reliquiarum habere? quid consultius, quam cum sacros inde lapides auferri religio vetaret, tecti particulam, quam custodum liberalitas haud ægre largiretur, impetrare? Certe per ea ferme tempora plurimas vbiq̃ terrarum Deiparæ Lauretanæ sacras ædes dicatas reperio: quod sane haud in minimis Lauretanæ Virginis laudibus pono, tam gratam iucundamque fuisse apud aduenas eius memoriam, vt perpetuum eiusdē monumentum, ac simulacrum domi habere voluerint. Atque vt de Piceno taceam, cuius nulla vrbs, nullum ferme oppidum est, vbi non ædes aliqua exstet sacra Virgini Lauretanæ. Nobilissimæ quæque Italiæ vrbes eidem non vulgaria templa consecrarunt. Romæ quidem templum visitur B. Mariæ Lauretanæ sane magnificum, & Romana munificentia dignum; cuius formam: fama est à Michaele Archangelo Bonaroto Architecto nobilissimo esse descriptā. Neapoli quoque haud inconcinna ædes Lauretanæ Virginis visitur, & quidem orphanotrophio insignis. Iam in duabus nobilissimis Siciliae vrbibus, Panormi inquam, & Messanæ, exploratum habeo sanctissimam esse memoriam Virginis Lauretanæ, eiusque nomini ædem à Panormitanis intra urbem, à Mamertinis in suburbio dedicatam. Nec vero Italiæ finibus se tenuit hæc Lauretanæ Domus religio, sed strenue transgressa est Alpes. F. Vincentius quidam sacerdos ex Franciscana disciplina probus, ac pius fuit. Is Laureto regressus in Franciam, in suburbio Lauelis (quod oppidum est Diocesi Cenomanum) ædiculam exstruxit ad exemplum sacelli Lauretani, eamque Lauretanæ Virginis nomine appellauit. Hæc hodie quoque, vel ab accolis, vel à peregrinis impense colitur. Et Lusitania quamuis celeberrimis, ac religiosissimis Deiparæ Virginis ædibus prædita, Lauretanæ quoque ædis religionem secuta est. Itaque haud procul Conimbrica in suburbano, amænissimo loco templum Lauretanæ dicauit Virgini, quod quidem maxima etiam finitimarum po-

Aedes Lauretanæ passim extruct.

Aedes Lauret. Romæ.

Aedes Lauret. Neap.

Aedes Laure. Panormi & Messan.

Aedes Laurei. in Fran.

Aedes Laurei. in Lusitania

pu-

pulorum frequentia celebratur. Brigantiæ item alterum, tertium Olyssipone lóge augustissimum, quod etsi ab Italis conditum, excultumque magnifice; tamen etiam ab indigenis religiose frequentatur. Ad hæc optimis autoribus comperi, in Scotia duo B. Mariæ Lauretanæ facella exstructa olim fuisse, alterum in oppido Pertho, quod etiam S. Ioannis nomine appellatur, alterum propter viam qua itur Mussilburgum haud procul Edimburgo vrbe regia Scotiæ. Vtrobique porro Lauretanam Virginem religiosissime cultam: in Mussilburgensi autem suburbano etiam maximis peregrinorum concursibus, ac B. Mariæ miraculis celeberrimam extitisse, quandiu orthodoxa religio in Scotia steterit. Postea vero quam in illo religiosissimo quondam Regno Calviniana pestis furere, debaccharique cœperit, sacram illam ædem ab illis furijs ita dirutam, vt tamen ruinæ exstarent, vel illorum vœcordiæ, vel auitæ Scotorum religionis indicia. Ac Mussilburgensis quidem sacelli hanc originem accepimus. Scotum heremitam olim peregrini habitu Lauretum ad salutandam Virginem accessisse: inde reducem sacri tecti particulam secum in patriam tulisse: ibi corrogata à pijs hominibus pecunia, ad Mussilburgum Lauretanæ Domus excitasse simulacrum, eique B. Mariæ Lauretanæ nomen fecisse: id templum, & sacrarum reliquiarum, quas diximus inibi depositarum cultu, & Lauretanæ Virginis (cuius celebre erat illis quoque gentibus nomen) religione inclytum extitisse, quoad vt ante diximus, vœfana Hæreticorum rabies fuerit.

Aedes Lau.
in Scotia.

Cælati operis, quo sacrosancta Ædes vndique vestitur, descriptio.

Cap. VI.

Eodem tempore Lauretanae Domus cultus, & propagatus foris, & amplificatus domi. Paulus Pont. celeberrimum illud Pontificalis magnificentiae monumentum ab Iulio destinatum, inchoatum à Leone, effectum à Clemente, ipse non quidem omni ex parte perfectum (de erant quippe statuarum pleraeque, & aeneae valuae omnes) sed tamen eo perductum, vt absolutum videri posset, aperuit anno huius seculi XXXVIII. opus enimvero egregium ac mirabile, cui noua hæc operum magnificentia quicquam adhuc in pari mole adæquare non potuit. Satis constat ex rationum libris, in id opus XXII. aureorum millia infumpta, exceptis viginti statuis egregie factis, & valuis aeneis quatuor pulcherrime cælatis, quæ pene tantidem steterunt. Quadratum est ornamentum sacram vndique Virginis cellam amplectens: totum ferme e candido marmore solido, ac mira arte cælato. Patet in longitudinem pedes ferme quinquaginta, in latitudinem circiter triginta: altitudo latitudini ferme par. Vniuersum opus è Carrariensi marmore candoris eximij constat, striatis opere Corinthio distinctum columnis, quarum senæ longiora latera adornant, quaternæ breuiora. In ipsam partem fascia pedalis e marmore Luculleo cingit, stereobatae locum obtinens. Surgunt inde stylobatae coronati, qui apte spatia distinguunt. In spatijs stylobatisque, vel gentilia, adscitave Leonis Pontificis insignia, vel virtutum argumenta cælata visuntur, figillis, qua pedalibus, qua cubitalibus mire scite, venusteque factis. Supra stylobatas columnæ dispositæ binæ ad singulos angulos: in longioribus autem lateribus etiam binæ

binæ in medio, binis videlicet ianuis æquo spatio interie-
ctæ. In ipsis porro intercolumnijs bini item signorum suis
loculamenti in clusorum ordines deinde adiecti: vnus in
ferne ad bases, sacrorum Vatum: alter superne ad epistylia
Sibyllarum Christi, aut Deiparæ Virginis ortum vaticini-
antium. Ipsa loculamenta porphyreticis tabulis incru-
stata, opere magnifico. In maioribus spatijs inter colum-
narum scapos, tabulæ ingentes è candido marmore solido
integroque vbi nobilium B. Mariæ factorum argumenta,
simulacris naturalis fere staturæ eminentibus, pulcherri-
me cælata miraculo sunt. Epistylia porro columnarum
egregie facta opere Corinthio multiplex corona cingit,
cui subiecta spatia binæ aquilæ tenentes mordicus encar-
pos restesque pomorum, ac fructuum egregie cælata, inter-
iectis leonum rostris, adornant. In summo denique pul-
cherrimus columellarum ordo coronatus, angelorumque
eminentium figuris concinne venusteque distinctus, qui
vniuersum opus circumiens pro coronide est: ambulatio-
nemque vndique peruiam præbet, ad suspendenda voti-
ua vexilla, quæ subinde B. Virgini afferri solent. Pluri-
bus describere pretium operæ nõ duco, cū spectare liceat.
Opus omnino visendum, cuius eximiam pulchritudinem
nemo concipere animo potest, qui non oculis ante subie-
cerit. Ergo vt apertum sacrosanctæ cellæ ornamentum
longe pulcherrimum fama vulgavit, confestim maximi
Lauretum fieri accolarum, peregrinorumque conuersus.
Quippe artifices de industria illius ædificij fabricam, &
quoad perfectum esset opus, velis obductis quam maxi-
me occultauerant, vt magnificentius deinde spectaretur,
cum absoluti operis pulchritudo recens, atque integra ad
mortalium oculos perueniret. Itaque infatiabili illa spe-
cie, & ad rationem, solertiamque præstantissima, cun-
cti auide oculos, animosque pascebant suos.

Tem-

*Templi tholus rimas agens firmatur.**Cap. VII.*

LAetos tali spectaculo indigenas, aduenasque ingens repente incescit metus subito amittendi, quod summa cum admiratione, ac voluptate spectabant, & (quod caput est) etiam illud ipsum, cuius id erat ornamentum. Basilicæ testudo (cui subiectam in medio spatio sacram Virginis cellam diximus) stabat octo lateritijs innixa pilis. Attamen siue superstructorum parietum altitudine, siue nimio impositi plumbi pondere degraunte, succumbere oneri, & rimas agere repente coepit, nouo cellæ ornamento, cellæque ipsi cui imminebat, foedam ruinam minitans. Tam trepido nuncio excitus Pontifex extemplo Antonium Sangallum architectum suum maturare Lauretum iubet, & summa ope tanto illi incommodo obuiam ire: ne tot annorum, tot Pontificum labor momento temporis ad nihilum recideret: & duo præcipua orbis terræ, alterum diuinæ potestatis, alterum humanæ artis miracula, subita templi ruina opprimeret. His plenus uocibus Sangallus Lauretum aduolat, & re cum Nerucio architecto communicata, confestim de communi sententia pilas tanto oneri impares intentiore cura munire, ac firmare aggreditur. Igitur validis trabibus testudinem protinus fulcit: & circum effossis strenue fundamentis, pilas impigre conuestit quadrato lapide, firmatque quatuor inter alternas pilas arcibus minoribus exstructis, qui super imposito oneri ferendo forent. Ac ne quid munimenti non necessarij tantum, sed etiam opportuni præmitteretur, pilæ quoque ac parietes inter se ingentibus uectibus ferreis colligati, sed ita, ut uectes ipsi aut nusquam, aut non indecore appareant: cætera quoque ita perfecta,

cta,

ta, vt non magis firmitas, quam species quaesita videatur. Et ad celeritatem operis haud parum fabricorum, architectorumque solertiam iuuat sedulitas aduenarum. Quippe ingens eorum multitudo auertendi periculi, quod Lauretanæ Domui imminere credebant, certatim conuolare lapides, ferre onera, machinis operam dare, læti se operam suam nauare Virgini Lauretanæ, sanctissimæ orbis terrarum cellæ, perfugio omnium gentium, nationumque. ita tota res omnium opinione celerius perfecta, & imminens sanctæ Domui periculum non magis consilio, quam celeritate discussum.

Novis Lauretana Ædes donis augetur.

Cap. VIII.

PER id tempus magna à nobilibus viris, ac feminis donorum vis fuit. A Francisco Sfortia Mediolanensi Duce postremo, sacerdotis ac ministrorum solemnî cærimonia sacris operantium amictus egregij ex veste Attalica, magnificis operibus picta, Lauretanæ Virgini dono missa. A Sigismundo Estensi Ferrariæ Duce Herculis filij effigies argentea pondo fere quatuor: sua quoque effigies ex argento librarum nouem. A Bassano Mantuano suum simulacrum ex argento expressum, pondo amplius octo. Ab Honorio Sabello corona argentea ferme trilibris. Ab Octauio Farnesio crux aurea ex aureo torque pendula. A Bonifacio Caetano Duce Sermonetæ argentea effigies Lauretanæ Virginis, atque altera filij sui pondere non contemnendo. Ab Hercule Maria Sfortia duæ ex argento expressæ imagines, singulæ octo librarum. A Bernardino Sanquinio Neapolitano simulacra bina ex argento cælata, pondo ferme quatuor. A Leonardo Bonafide Episcopo Cortonensi ipsius imago argentea quatuor

Cod. Lan.

Ducis Mediol. D.

Ferrariensis Ducis D.

Bassani Mantuan. D.

Honorij Sabelli D.

Octauij Farnesij D.

Ducis Sermonetæ D.

Her. Mariæ Sfortiæ D.

Bernardini Sanquinij D.

Cortonensis Episc. D.

libra-

Julij Monaldi D.

Pompilij Bonon. D. egregium.

Antonij Pignatelli D. Lud. Comit. Fulg. D. Leonar. Venerij D.

Margar. Austr. D. Duc. Amalphetanæ D. Proreginæ Samnit. D. Princip. Bisinian. D. Comit. Populi D. Marchionif. Vasti D.

librarum. A Julio Monaldo Mantuano confimilis imago pondere ac materia par. Cæterum inter omnia huius temporis simulacra eminent Pompilij cuiusdam Bononienfis, viri Deo magis, quam hominibus noti (neque enim editur cognomen) effigies Ducis armati solido ex argento egregiè facta, pondo librarum quadraginta. Porro ab Antonio Pignatello Neapolitano torques aureus; alter ab Ludouico Comite Fulginate. A Leonardo Venerio Senatore Veneto calix argenteus pondere atque opere egregius. Nec contemnenda illustrium mulierum dona. Margaritæ Austriacæ Cæsaris filia cor argenteum bilibre. Constantiæ Ducis Amalphetanæ ipsiusmet effigies argentea librarum pondo fere quinque. Proreginæ Samnitium armillæ aureæ pulcherrimè factæ. Principis Bisinianensis caput aureum libræ. Alterum eadem materia, ac pondere caput Portiæ Comit. Populi. Mariæ Aragoniæ Marchionissæ Vasti argentea adolescentis effigies librarum trium. & dono causa inscripta his litteris:

MARIA ARAGON. MARCH. VASTI.
OB RESTITVTAM SANITATEM
ANTONIO ADOLESCENTI FRATRIS F.
VOT. POS.

Duc. Urbinatium. Vici Varronis simulac. Sarnani simulac. Maceret. D.

B. Rochi statua sex arg. Coronæ arg. XL.

Julia Veranæ Urbinatium Ducis cor aureum ponderis haud pœnitendi. Nec ciuitatum, oppidorumque dona desiderata. Allatum Vici Varronis oppidi simulacrum argenteum librarum trium: Sarnani item simulacrum eiusdem materiae, ponderis triplo maioris. Macereti corona ex argento inaurato præclarè facta bilibris. Alia porro dona ab ignotis authoribus haud tamen ignobilia. B. Rochi statua argentea sex ponderis non contemnendi. Coronæ argenteæ circiter quadraginta, ex quibus pleræque librales, multæ bilibres, nonnullæ etiam trilibres, ab urbibus, oppidisque magna ex parte donatæ. Votiuæ item imagi-

imagines argenteæ (quarum plurimæ singularum, multæ binarum, ternarumque librarum) supra sexaginta. Calices argentei haud multo pauciores. Quin etiam altariū, sacerdotumque sacrificantium vestes complures, non fericæ tantum, sed argenteæ, aureæque. Mira quippe elucet in donantium plerisque simplicitas. Donorum plurima (vt ex codicibus donorum apparet) clam super aram posita sunt: aut tacitis donantium nominibus tradita. Multa suppressis ipsorum cognominibus, & pro ijs, patriæ cuiusque nominibus editis, quæ simplicitas etiam in plurimis donorum titulis cernitur; vt satis appareat noluisse illos (quod Christus vetat) ante se tuba canere; vt præconium ac præmium pietatis suæ non ab hominibus acciperent, sed à Deo, qui videt in abscondito, expectarent.

Votiuæ imagines LX.

Calices argentei LX.

Donantiū simplicitas.

*Turma equitum Præfectus abreptus impetu fluminis
evidenti periculo eripitur.*

Cap. V IIII.

Est in agro Reatino (Italiæ umbilicum vocant) lacus haud ignobilis, quem Velinus amnis efficit, à quo nomen trahit. Hinc Velinus emerfus aliquanto spatio lenis, ac placidus fluit. inde ex altissima rupe per scopulos & saxa præcipitans in subiectâ petram ingenti fragore, ac strepitu aquarum cadit. vulgo Pediluci ruinas appellant. Haud procul rupe, quam dixi, turma equitum Petri Aloisij Farnesij (is tum Castri Dux erat) forte ducebatur. Turmæ Præfectus (Marefcallum appellant) Petrus Terennaticus Senensis erat. Hunc cupido incessit spectandi propius amnem ex alto cadentem. Igitur duobus equitibus assumptis, ad locum, vnde Velinus præcipitat, visendi studio diuertit. Iamque potaturus equus flumen intrarat, cum procedens paulatim in profundum gurgitem

Tradit. Lau.
Bern. Cyril.
Riera in An-
nal. Lau.

R pro-

prouexit incautum. Nec mora. sensit se à profuente ab-
 ripi in præcipitem locum, quem spectaturus aduenerat.
 Iamque aquarum impetu ex equo turbatus haud procul
 aberat interitu; cum Lauretanam Virginem lacrymaban-
 dus implorat. Nec surdis auribus preces adhibitæ. Ex-
 templo in ipsa fluminis ruina B. Virgo adest periclitanti:
 porrectaque dextra præcipitem inter undas, ac scopulos
 sustinet, tueturque donec ad ima perueniat. mira dictu-
 res. ex altissima rupe deuolutum scopulus excepit, red-
 diditque innoxium. Igitur confestim Lauretum ad vota
 Deiparæ exsoluenda venit: votiuamque tabellam, in qua
 tota res ordine perscripta est, tanti miraculi testem exsta-
 re voluit: quæ hodie ad dextram sacrosancti sacelli in pi-
 la suspensa visitur. In tabella inscriptum. *Ego Petrus Te-
 rennaticus eques, & Marecallus equitatus Ducis Castrorum, &
 ceteri equites ex Piceno ad Vicum Varronis proficiscentes, cum
 Nonis Martij M. D. XLIII. ad Velinum lacum perne-
 nissemus; ego, & duo alij milites, Tiberius ex Grauisca, &
 Antonius Cortonensis à cæteris equitibus discessimus, ut illum
 viseremus locum, quo se Velinus in Nar præcipitat. Ac non
 procul inde, cum equum adaquarem, ego una cum equo in quas-
 dam fluminis angustias insidi, ex quibus præcipitem altissimo
 casu, circiter videlicet centum cubitos altum, & Deiparæ
 Virginis Lauretanæ opem implorantem, quidam me scopulus
 excepit, incolumem, & rei miraculo admirandum, atque at-
 tonitum. Quapropter illico votum persolui Beatissime Virgini,
 quam tunc presentem, propitiâque suam expertus, testibus ocu-
 latis duobus Centurionibus Chiancio Vrbenetano, & Raimundo
 cum vniuersa equitum ala. Hanc nos inscriptionem ad ver-
 bum inferuimus, ut quam testatum certumque sit hoc mi-
 raculum, magis appareat.*

Paulus

*Paulus Tertius Lauretanam Aedem bis inuisit,
Pontificiarum aedium opus orget.*

Cap. X.

INter hæc Paulus P^ot Aedis Lauretanæ celebritatē præ-
claris ab se operibus adornatam suæ præsentia cohone-
stauit, ratus ab se Principibus viris prædendum exemplum
non solum ornandi cunabula Virginis, sed etiam celebra-
di. Itaque intra triennium ipse bis Lauretanam Virginē
inuisit: semel anno eius seculi XLI, cum dissuasor Alge-
rianæ expeditionis ab vrbe Luca, & à congressu Cæsaris
per Aemiliam ac Flaminiam ad Urbem rediret: iterum
triennio ferme post, cum Cæsari post Algerianum incō-
modum, ad Belgicum bellum properanti occurreret Bo-
noniam. Tum enim Pontifex maturata, vt in tempore
occurreret, profectio, Pontificiam ditionem obiens
venit Lauretum. Vtroque autem tempore, & immorta-
lem hausit ex Lauretana Aede lætitiā, & præclara B.
Virgini dona attulit. Pontificales altarium & sacerdo-
tales vestes aureas, argumenta religionis, ac munificentia
sue. Cæterum haud mediocre suæ magnificentia frui-
ctam cepit, cum ex cæterorum operum suorum aspectu,
tum vero ex magnificentissimi operis, quo sanctissimum
facellum extrinsecus conuestitur, insatiabili specie. Exin-
de obstantis Fauonio collis æquandi difficultatem cōtem-
platus, ratusque id esse non sumptus tantum, sed etiam la-
boris infiniti, commodi autem labori minime paris, dixit
se fertur, & parcendum esse inani labori, insistendumque
vtilibus, verioribusque sedis Lauretanæ commodis, quæ
expectationi hominum responderent. Proinde ab æquan-
do colle ad extruendas Pontificias aedes Principum viro-
rum hospicio destinatas, curam operamque conuertit.
Ergo breui maxima eius ædificij pars absoluta, expolita, q

*Ann. Laur.
Raph. Rier.*

*Pauli III.
Dona.*

*Biblioth.
facellum
Aedificij
facellum
Car. Trib.
facellum
Car. Trib.
facellum
Dues Vrb.
facellum*

instructaque adeo magnifice, vt in ea etiam Reges, ac Pontifices Maximi laute diuersari queant. Ex tribus aediū partibus vna tum perfecta est, quæ ad dextram templi sita ab ortu solis in occasum porrigitur. Eius longitudo centum cubitorum, latitudo viginti quatuor spatium æquat: ad XXV. cubitos summum fastigium peruenit, præter ingentes substructiones æquando ædificio à Septentrione additas. Huic parti adiecta duplex porticus sane regia, quæ arcibus quindecim totidemque ferè ingentibus pilis interiectis longissime exspatiantur superne, inferneque opus iuxta ad aspectum, & ad usum insigne, atque præclarum.

Aedes Lauretana sacellis pariter, & cœlestibus prodigijs decoratur.

Cap. XI.

Car. Carp.
facellum.

Bisnina. Pri.
facellum.
Archiep. Al
toui facel.
Card. Trid.
facellum.
Card. Aug.
facellum.
Ducis Urb.
facel. exim.

Nondum hæc Lauretani ædificij pars à Pontifice ab-
soluta erat, cum Basilicæ sacella exornari à Principi-
bus viris coepta sunt. Huius rei princeps Rodolphus Pius
Cardinalis Carpenis fuit, qui vt ante diximus, in Laure-
tanæ Domus tutela Cardinali Contabeno successerat. Is
igitur vere pius Sacellum asseruando, ministrandoque
sanctissimo Christi corpori destinatum egregijs picturis
opere marmorato, inauratoque adornauit. Huius exem-
plum alios deinceps Proceres ad æmulandum pietatis de-
cus accendit. Bisniani Princeps S. Annæ, Archiepiscopus
Altouitus B. Virginis Elisabetam visentis, Cardinalis Tri-
dentinus Rosarij, Card. Augustanus S. Ioannis Baptistæ
facella exornarunt, laudatissimorum quæ pictorum, quæ
platarum operibus. Eminent tamen longe inter hos Vr-
binatum Ducis magnificentia, qui facellum suum non so-
lum candido marmore mira arte cælato decorauit, sed
pulcherrimis picturis Barocij, & Zuchari nobilissimorum

picto-

pictorum manu. Dum templum certatim à mortalibus ornatur, immortalium ornamentis omnino non caruit. *Ann. Laur. Riere.*
 Sub id tempus reperio vetus Lauretanæ flammæ prodigium nouo modo instauratum. Ignea per noctem velut columna visa ingenti splendore collucens Lauretano incubare templo: inde Macereturum versus (oppidum est Piceni nobile in primis à Laureto millia passuum quatuordecim) paulatim progredi: demum super templum S. Mariæ cognomento Virginum in suburbano Maceretensi consistere. Id prodigium à Franciscanis Capucinis suburbani coenobij inrentius, sæpiusque obseruatū, cum à matutinis diuinarum laudum officijs ante lucem de more ad orandum Deum recepissent se in proximam syluam. Ab iisdem deinde vulgatum ratis B. Mariam coelestis flammæ specie lapsam è coelo in suam natalem domum: deinde ad alteram suo nomini dicatam ædem processisse, vt eo argumento fidem faceret mortalibus, illam quoque ædem sibi esse cordi. Et insolita miraculorum in illa æde subinde patratum copia haud dubiam coelesti prodigio addidit fidē. Hoc prodigium illum ipsum annum nobilitauit, qui Pauli Tertij Pontificis decessu insignis fuit. Is quippe indicta in annum quinquagesimum Iubilei celebritate, ipse mortalitate exutus ad vitam transijt immortalē, Iubilei cura, ac laude successoris relicta.

Iulius Tertius Collegium Societatis Iesu Laureti instituit. Cap. XII.

Iulius inde Tertius superiorum Pontificum ritu, Lauretanæ Domus Indulgētijs, immunitates, beneficia, sua firmavit auctoritate. Ac memor diuinæ illius vocis *Domine tuæ decet sanctitudo Domine.* Cleri, populi que Lauretani mores legibus per Cardinalem Carpensē latis composuit ad sanctitatem. Exinde ab incolarum disciplina ad ornatum *Ann. Laur. Riere. Iul. III. Pō. benef.*

ornatum loci cura Pontificis versa: sacra ab eo supellex satis aucta: marmorei gradus in templi vestibulo excitati: atrium ad loci munditiam laterculo stratum: nonnullae etiam priuatae aedes, vel ad plateae speciem, vel ad incolarum commoditatem è regione porticus, de qua diximus, exstructae. Ad vltimum summa, rectoque proxima Pontificiae domus contignatio, rudis antea ac deserta, ad habitandum satis exulta, eaque Societati Iesu attributa. Pontifex quippe probe gnarus prauorum morum emendationem ex bene instituta confessione, fructum piæ peregrinationis esse vel maximum. Lauretano templo cunctarum gentium peregrinationibus celeberrimo, idoneos prouidere Pœnitentiarios statuit. Etsi enim non deerant sacerdotes pijs doctique tamen eorũ siue paucitas, siue peregrinarũ inscitia linguarũ minus vtique proficiebat, quam opus erat. Itaque Pontifex omnia circumspectans demũ Cardinalis Carpẽsis admonitu, optimũ factũ existimauit, Patres Societatis Iesu Lauretanis sacerdotibus adiungere: vt essent qui linguæ cõmercio peregrinos alliceret ad expiationem animorum, & simul aduenarum confessionibus assiduam, sedulamque operam darent. Duodecim socij ad eam rem lecti. His alendis quod satis esset ex Lauretana Domus facultatibus assignatum: sedes in suprema ædium parte, quæ tum vacabat, vt diximus, attributa anno huius seculi LIII. Hęc initia Collegij Lauretani Societatis IESV parua quidem, sed haud paruo incolarum, & peregrinorum bono. Præcipua Patrum cura erat, peregrinorũ, ac transalpinorum animos confessione expiare: agrestes homines Christianorum mysteriorum rudes informare: omnes ad piæ, Christianæque vitæ studium accendere. Quam porro eorum opera, vel indigenis, vel aduenis frugifera ac salubris extiterit, satius est alijs cogitandum relinquere, quam me litteris prodere. Cæterum hoc Patrum Collegium non mortalibus solũ, sed etiã B. Mariæ cordi fuisse incrementum eius, maiorque in dies progressus ostendit.

Cælestia

Cœlestia flammæ prodigia Laureti renovata.

Cap. XIII.

HAud ita multo post cœlestia prodigia longe maiorem solito mortaliū multitudinem conciuere Lauretum, & expiandam Patribus, excolendamque præbuerunt. Non dum vertente anno, nocturni ignes tanquam stellæ, visi erumpere è Lauretanæ Basilicæ tholo; ac versus Montem Filatranum (pagus est Laureto proximus) sensim velut agmine quodam procedere. Ibi supra vetustam B. Mariæ ædiculam, quasi choreas in orbem agitare aliquandiu, denique ad Lauretanam Aedem vnde discesserant, recipere se. Id primo à pastoribus eius pagi accolis, inde horum indicio etiam ab incolis notatum populoque vniuerso, tanta quidem omnium admiratione, vt stupor quidam cunctorum animos occuparet. Nec breue, aut fugax spectaculum erat, sed diuturnum, ac prope ipsi æquale nocti. A secunda enim ferme noctis hora, vsque ad primam auroram tenebat. Itaque complures rei propius visendæ auidi ad eum accurrebant locum, qui cœlestibus ignibus collucere videbatur. At vbi eo ventum erat, repente mirabilis illa species eminus conspecta subducebatur oculis cominus intuentium, cum tamen eodem ipso tempore prospectantibus appareret. Quæ cœlestium luminum fama celeriter, vt fit, toto Piceno vulgata, ad tam iucundum spectaculum finitimos exciuit populos. Per noctantes igitur sub dio opportunis ad spectandum locis, cœlestes flammæ ex Aede Lauretana emicare, supraque ipsorum capita ferri videbant, haud minore admiratione, quam gaudio. Nec vana illa fuisse spectacula, mox miraculorum ostendit euentus. Constans fama est, mortaliū complures ædiculam illam ingressos, Dei Deiparæque Virginis dono, varijs depulsis morbis, domos suas reuer-

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rer.*

reuertisse incolumes: Ex quo numero claudos, surdos, herniosos, & energumenos fuisse. Sentires illas Lauretanorum luminum in alia B. Mariae templa excursions hoc significare mortalibus, Lauretanam Aedem longe, & fastigio, & dignatione inter alias eminere: quod in illis B. Maria diuersari, hic quodammodo habitare videretur.

Flammae caelestes in ipso etiam templo Lauretano visa.

Cap. XIIII.

*Tradit Lau.
Ann. Laur.
Riera.*

Nec foris modo, sed etiam intra ipsum templum caelestes flammae quandoque visa. Anno insequenti, qui fuit M. D. LV. cum vnus è Patribus Societatis Iesu in Lauretana Aede concionem de more haberet ad populum, luce palam, plurimis inspectantibus, ignes quidam haud obscuri coelo delapsi sacrosanctum sacellum insedere: mox inde diffusi circumire concionem: denique cunctis rei miraculo stupentibus, recipere se se in coelum. Ea res, vix credibile est, quantum intuentium animis mixtae gaudii religionis incusserit. Aderat forte in turba, Raphael Riera Sacerdos è Societate Iesu doctus iuxta, ac pius, qui hoc ipsum, & alia deinceps plurima ad Lauretanam historiam pertinentia memoriae prodidit. Is tum rei miraculo, ac nouitate attonitus, repente humi procubuit venerabundus. Cumque Deo, ac Deiparae grates ageret, à quibus tali dignatus esset spectaculo; tantam caelestis gaudii copiam in praesentia hausisse se tradit, vt complures deinceps durauerit dies, pectore Dei caritate, & B. Mariae religione semel accenso. Neque vero id vni sibi contigisse ait, sed alijs compluribus, qui à concione idem sibi quoque accidisse, & sermonibus, & gestibus, & scilicet lacrymis testarentur. adeo insolita laetitia sacro horrore mixta ex vultu, oculis, gestibus corporis eminebat. Haud vanam

nam

nam fuisse speciem iteratio miraculi fidem facit. Biennio post vnus item è Patribus sermonem de more ad Canonicos, & circumfusam multitudinem habebat: plerique Patrum confessiones excipiebant aduenarum: nonnulli in augustissima Virginis cella Deo supplicabant; cum repente è summo tholo coelestis flamma, cometæ instar, emicare visa dicitur; atque inde supra sacellum lapsa, parumper ibi stetit: hinc ad concionem progressa, cunctis miraculo ac stupore torpentibus gratum præbuisse spectaculum: Demum flexo in diuersum cursu, ad destinatum confessionibus locum (Poenitentiarium appellant) supra sacerdotum, confitentiumque capita discurrisse: ad vltimum supra Christi crucifixi imaginem, quæ in sanctissimo sacello religiosè colitur, paulisper morata sublimis abiisse, omnium qui oculis coelestem illam flammam hauserant, pectoribus inflammatis.

Duo Capucini fluctibus maris eximuntur.

Cap. XV.

NEc alia per id tempus defuere miracula, ex quibus nos (quod nostrum institutum fert) maxime illustraria referemus. Anno circiter M. D. LIII. Franciscani Capucini duo, Lauretana Virgine salutata, ex Ancona soluerant in Dalmatiam traiecturi. In medio cursu atrox coorta tempestas præsens omnibus intentabat exitium. Igitur Nauarchus ad leuandam onere nauim versus iacturam vasorum, ac mercium facere. Franciscani in nauis angulo diuinam iram precibus placare coeperunt. At institores, siue damni dolore amentes, seu diabolicis instincti furijs, in Franciscanos illos periculi, vt videbantur, securos rabiem vertunt. Enimvero illorum vitio procellam exortam, eorundem exitio sedandam. Hæc vociferantes cooriuntur; in insontes impetum faciunt; comprehensos

*Trad. Lau.
Ann. Lau.
Rier.*

S in

in mare deturbant. At illi Lauretanam Virginem, quam
 ingruente periculo inuocauerant, inter fluctus inclamare
 pergebant. mira dictu, visuque res. Ex templo diuina
 quãdam vi eos subleuatos cerneres toto exstare pectore
 supinisque manibus Dei Deiparæque laudes cœcitate
 nentes in ipso exasperati maris impetu placide ferri. Ita
 que breui ducente, ac vehente Deo, Anconæ portum pa
 riter tenuerunt. E vestigio in madidis vestibis, vt erant,
 Lauretum ad agendas B. Mariæ grates regressi proster
 nunt corpora ante eius effigiem: obortisque lacrymis e
 nixe Deo ac Deiparæ grates agunt. Ex Lauretanorum
 custodum numero Bernardinus Galiardus erat, vir haud
 vana fide, idemque antiquus Capucinorum hospes: apud
 quem illi, & priusquam Anconam peterent, & inde Lau
 retum reuersi diuerterant. Hic igitur Franciscanos, quos
 dixi, salo perfusus hospitio recepit: & illi causam sciscitan
 ti hospiti tandem rem omnem, vti gesta erat, exposuerunt
 hac lege, vt ipsorum nomina silentio premerentur, Galiar
 dus itaque suppressis illorum nominibus, rem deinceps a
 liis, vti ipse acceperat, enarrauit.

Ad *adolescens ex fluminis vorticibus eripitur.*

Cap. X V I.

Trad. Laur.
 Ann. Laur.
 Rier.

HAud leuius periculum in flumine alius vitauit, quã
 Franciscani in mari vitauerunt præsidio Virginis
 Lauretanæ. Angelus Autanus ex agro Salernitano egre
 gia indole, ac pietate adolescens in Vulturum amnem,
 qui Capuam præterfluit, abluendi corporis gratia, cum
 æquali, gregalique suo descenderat. Cæterum eius socius
 dum incaute progreditur, cæcos delatus in gurgites haud
 procul aberat exitio. Accurrit impigre Autanus opem pe
 riclitanti laturus: sed ipse quoque idem periculum incur
 rit, quo frustra iam eximere alterum conabatur. Tamque

VOR-

vorticibus prærapidi fluminis hæustus è fundo semel emer-
ferat, cum B. Mariam Lauretanam, utcumque potest, se-
miuius in clamat. Nec irritæ ceciderunt præces. Repen-
te B. Virgo vocata, adfuit: & iuuenem gurgiti ereptum,
iamque prope exanimatum gremio excipit, ac supra flu-
men ad mille passus delatum in opportuna statuit ripa. Il-
le diu hæsit periculi pariter, miraculique stupore attoni-
tus. Inde ut primum ex pauore animum recepit; coeleste
agnoscens beneficium procumbit in genua: & B. Mariam
liberatricem suam impense salutans grates laudibus mi-
scet. Protinus Lauretum petit, Deiparam colit, miracu-
lum prædicat.

*Puella Lauretana è puteo: cuius Caietanus è carcere
liberatur. Cap. XVII.*

NEC Lauretum ipsum Patronæ suæ opem non sensit in
parisutorum discrimine. Parua puella ad puteum,
qui in ædibus Lauretani Præsidis erat, de more accesserat
aquam haustura. Iam situlam fune religatam demiserat,
& aquæ plenam incauta festinatione reuocabat; cum vase
degrauante, ipsa ultro in puteum deuoluitur. B. Mariam in-
clamans. Vidit forte de fenestra vnus è præcipuis S. Do-
mus ministris cadentem puellam: eique B. Virginis im-
plorauit opem. Protinus ipse cum domesticorum manu
decurrit ad puteum. Mirum dictu. illam conspiciunt in-
columem, lætamque summæ incubantem aquæ. Igitur
properè maiorem situlam cū valido fune demittunt: puellamque
quid facto opus sit monitam extrahere connitun-
tur. Iamque illa situlæ insistens, & funem manibus tenens
ad os putei attracta peruenerat: multorumque eam
manus petebant opem laturæ. at illa inter tot manus an-
ceps consilii, dimisso perperam fune, nullaque compre-
hensa manu, eodem recidit. Cæterum omnibus qui ade-

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rier.*

rant Deiparam inuocantibus, ad aquam peruenit innoxia: & si multa suberant fragmenta testarum. Itaque illi ad vltimum scalis demissis, segniore, sed tutiore via eam educunt. Narravit deinde puella, labenti sibi in puteum Virginem eximia specie praesto fuisse, cuius manibus exceptam semet innasse aquae, sine vlllo profus incommodo. Idem quoque sibi denuo cadenti vsu venisse. Quippe ipsam B. Mariae exceptam manibus super aquas in gremio Diuae sedisse; quoad scalae conquisitae, colligataeque demitterentur. ita duplici miraculo seruata, haud leue praesidii Lauretanae Virginis documentum extitit. Nec leuius eiusdem praesidii argumentum Romae vir fuit, quam Laureti puella fuerat. Caietanus quidam honesto loco natus, sed animo parum forti, ac virili fuit. Is cum falso homicidij crimine coargueretur a testibus, (vt erat natura, vsuque delicatus) insolito tormentorum aspectu conterritus, maluerat, vt saepe fit, falsum confitendo, supplicium subire, quam inficiando inrer tormenta, vitare. Igitur morti addictus sacra confessione animi labes abstergit. Ibi Sacerdotis hortatu causam suam coelesti committit Iudici: Lauretanae Virginis opem exposcit. Auditae preces. Haud ita multo post dulci oppressus sopore visus est sibi videre Virginem Lauretanam, quae bonum animum habere iusso certam spem salutis, ac libertatis ostenderet. Nec mora: innocentia hominis diuinitus patefacta: auctores sceleris, falsique criminis artifices conuicti: in ipsos poena versa, quam parauerant innocenti.

Bassa Turcarum à Lauretana Virgine curatus, eam muneribus colit.

Cap. XV III.

*Tradit Lan.
Ann. Laur.
Riera.*

NEc barbari Lauretanæ opis expertes fuere. Corcutus Turcarum Praetor (Bassam ipsi vocant) anno
M. D. LII.

M. D. LII. Constantinopoli cum esset, ex graui, occul-
 troque pectoris apostemate ad extremum venerat vitæ di-
 serimen. Apud eum seruitutem seruiebat Christianus vir
 bonus, ac pius. Qui Domini periculum suæ libertatis oc-
 casionem ratus Prætozem adit moribundum, & de B. Ma-
 riæ Lauretanæ admirabili vi, in morbis cuiusque generis
 depellendis edoctum, bonæ implet spei. Igitur haud ægre
 eum perpulit, vt secum Lauretanam Virginem inuocaret
 vouens si morbum depulisset, se in eius gratiam illi seruo li-
 bertatem daturum. Nec seruus Dominum, nec Maria piū
 seruum fefellit. Protinus dirupto apostemate Prætor sana-
 tur, & extitit ab eo quoque fides. Extemplo seruum illū
 libertate donatum cum litteris, ac muneribus Lauretum
 ad Virginem destinat. Munera fuerunt, mantile egregio
 opere, ingentes cerei, argenti vis non parua, arcus, &
 pharetra præclara cum sagittis, non tam precio, quam do-
 norum nouitate, donantisque admiratione grata, & acce-
 pta. Erat illa tempestate Laureti præses Gaspar Doctus
 Venetus. Is ceteris donis super aram positis, arcum, pha-
 retramque suspendi in sacrosanctæ cellæ vestibulo iussit,
 rei ad posteros monumentum. Attulerat is, quem dixi,
 Bassæ Libertus miraculi testimonium, chirographum pa-
 troni sui. Quod Gaspar ex Arabico in vernaculam linguā
 conuersum ad posteritatis memoriam asseruari voluit. Id
 autem latine versum erat eiusmodi. Quod bonum, fortu-
 natumque nobis esse velit; magnus, ac misericors mun-
 di Dominus. Cum mihi ipsi diuinitus quidā euenerit, ego
 Corcut Bassa (ne meo desim officio tantæq. rei monumē-
 tum aliquod posteris exstet) rem omnem ordine exponā.
 Ortum erat atrox apostema nobis in pectore, iamq. haud
 dubium imminebat exitium; cum desperata à medicis
 salute, meus me seruus adiit, & sane fidenter; si mihi liber-
 tatem polliceris (inquit) Dei mei matrem exorabo, vt
 pristinam tibi restituat valetudinem. Itaq. ego confestim
 accersito tabellione, libertatem ei repromisi, si ipse pro-
 missa

missa præstaret. Extemplo seruus positus humi genibus, & quædã super se signa ducēs manu, rogitat, vt semet verbo præeuntem sequar. Inde ipse præire his verbis cœpit. Ego B. Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obsecutus, triduo post, Deo fauente conualui, Ergo seruo in libertatem vindicaro hoc chirographum dedi cum votiuis donis, quæ meæ obseruantia, gratique animi monumenta sint, B. Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos saluos velit.

Ædes Lauretana Illustrium virorum donis augetur.

Cap. XVIII.

NEC miraculis magis, quam muneribus Lauretana Domus Iulio III. Pont. Max. illustrata. Cardinalis

Card. Augustani D.

Augustanus vestem aureã opere præclaro: monile ex vniobus centum quinquaginta, certa per intervalla aureis distinctum globis. ad hæc aureũ numisma pendulum gemmis, ac margaritis insigne Lauretanæ Virgini donum tulit. Cardinalis Cæsius aræ ornatum argenteum. Carpensis Cardinalis eximium Episcopi. solemnī ritu. diuina officia celebrantis amiculum ex veste Attalica. Item alterum ex veste argentea auro crispante discretum. Cardinalis Medices (qui postea Pius Quartus Pontifex fuit) aræ vestem ex textili aureo. Bernardinus Sanseuerinus Princeps Bisiniani effigiem suam à pectore expressam ex argento, ingentis ponderis: aræ insuper, & sacerdotis ornatum ex holoserico viluto coccineo. Hercules Dux Ferrarientis aræ, sacerdotis, ministrorumque solemnī pompa rem diuinam celebrantium præclaros ornatus ex veste Damascena ingentibus aureis floribus intertexta. Vidobaldus Urbini Dux aræ pariter, ac sacerdotis amiculum ex Attalica veste. Dux Grauinæ ex eadem materia sacerdotis ornatum. Prorex Neapolitanus, & sacerdotis, & ministrorum solemnī more sacrificantium vestes aureas

Card. Cæsi D.

Card. Carpensis D.

Card. Medices D.
Princip. Bisinian. D.

Ducis Ferrarientis D.

Ducis Urbini D.
Ducis Grauinæ D.

opere

opere Phrygio conspicuas. Mantuanus Marchio eorum
dem ad eundem usum vestes argenteas. Portia Cælia plu-
niæ aureum. Vxor Comitum Palenæ in Samnitibus mo-
nile ex auro, margaritisque. Constantia Leiva Hispana
coronam auream libralem. Insigne etiam donum è Ger-
mania missum à Ferdinando Rege Romanorum, argentea
B. Virginis effigies sesquipedalis pondo XXXI. cuius geni-
bus aduoluta est Anna Boemiæ regina ex argento. In basi
titulus duplex, alter à fronte.

Proreg. Na-
polit. D.
March. Mā-
tuani D.
Portiæ Cæ-
liæ. D.
Comit. Pa-
lenæ D.
Constantiæ
Leivæ D.
Ferdini Cæ-
saris D.

SERENISS. AC POTENTISS. ROMANORVM VNGAR.
BOEMIÆ REX, ARCHIDVX AVSTRIÆ ET CET.
FERDINANDVS
HANC ARGENTEAM EFFIGIEM D. VIRGINI OFFE-
RENDAM TRANSMISIT AN. M. D. LII. MENSE MAIO

Alter porrò titulus à tergo:

FERDINANDVS ROMANOR. VNGAR. BOEMIÆ REX
ARCHIDVX AVSTRIÆ ETC.
EX VOTO SALVTIS IN MEMORIAM DVLCISSIMÆ
CONIVGIS ANNÆ, HANC IPSIVS ARG. EFFIGIEM
MARIE VIRG. DEDICAVIT. CONSECRAVITQ.

*Marcellus Ceruinus Card. in sacro sacello Pontificem
se futurum diuinitus cognoscit.*

Cap. XX.

HAcc inter Marcellus Ceruinus Cardinalis vir do-
ctrina pariter, & sanctitate clarus in oppido Lau-
retanæ Domui satis vicino (Montem Fanum appellant)
domicilium statuerat. Suum id natale solum ferebat, re-
uera locum interuifendæ natali B. Virginis cellæ perop-
portunum elegerat. Inde Lauretum incenso studio ven-
titabat, in augustissimo orbis terræ sacello sacris ope-
raturus

Ann. Laur.
Rier.

Card. Cer-
uini pietas.

raturus. Itaque sub Iulij Tertij Pontificis decessum Marcello rem diuinam inibi de morè facienti res euenit visu, euentuque mirabilis. Eximio candore, ac specie columba, multis inspectantibus, supra eius caput placide cum volitasset, nunc in sacrificantis manibus, nunc in ipso missali libro quiescebat. Ea res obiecta oculis adstantium plerosque animis immobiles stupore defixit. Sacerdos qui de more Cardinali sacrificanti præsto erat, vulgarem aliquam columbam eo forte delapsam ratus abigere eam conabatur. At Cardinalis haud parum memor candidæ columbæ inditio diuinitus olim designatos nonnunquam esse Pontifices; inhihet abigentem: ipse cœlestem columbam quiescere finit, quoad sacrificio peracto, sua sponte auolaret. Exinde cœleste visum homini affirmat fidem. Nuncio de morte Pontificis Marcellus Romam reuocatus non sustinuit viæ prius, & Pontificijs comitijs committere se, quam veteri suo instituto Lauretanam Virginem salutasset. Et aderat dies Annunciatæ Virgini sacer, qui cæteroqui pium eius animum inuitabat. Venit ergo pridie Lauretum. Festo ipso die, exclusa incondita turba, sacrum in augustissima cella facere attentissime coepit. Inter sacrificandum post initium Canonis, Ecclesiam Pontificem orbam memorans, Deo ac B. Virgini enixius commendabat. Effuse præcanti B. Maria cœlesti specie, coelitem septa comitatu se offert: animoque eius diuina luce, ac dulcedine delibuto, ipsum fore Pontificem indicat: exemplo attonitæ mentis oculis subducit se. Marcello tam nouæ rei, ac subitæ admiratio tantum repente animi; corporisque totius incussit horrorem; vt ad aram trepidans pedibus ægre subsisteret. Sensit Sacerdos eius administer aliquid profecto Cardinali obiectum diuinitus, vtique cum eius conspiceret faciem insolito quodam splendore fulgentem: mox etiam notaret totum eius corpus noua circumdatum luce. Ergo quod ipsemet viderat, deinde cum alijs multis tum Raphaeli Rieræ, qui rem litteris prodidit, profamilia-

Card. Cer-
wini promi.

familiaritate narrauit. Quin etiam Cardinalis ipse neces-
 sariorum, qui spectaculo adfuerant, precibus fatigatus,
 enunciauit denique totam rem, uti gesta erat: ac si-
 mul adiecit tantum utique Pontificis munus longe altius
 esse fastigio suo: ac propterea Deum fortasse alium sibi
 Vicarium quaesitum. Ceterum si Deo cordi esset talem
 in terris habere Vicarium; enimvero sibi antiquissimum
 fore, Christianam Rempublicam conseruare factam, rectam-
 que, atque Aedis Lauretanæ cultum longe, ac late propa-
 gare. Itaque Montem Fanum regressus accersito tabel-
 lione, publicis consignari litteris iussit, quæ in B. Mariæ
 Lauretanæ gratiam destinaret animo: nimirum ut publi-
 cæ tabulæ suam Deiparæ obstringerent fidem, eademq.
 si forte, quod accidit, mors interueniret; testes forent suæ
 erga illam egregiæ voluntatis. Exstant hodie in eo, quod
 dixi, oppido tabulæ Marcelli Cardinalis, ex qui-
 bus satis apparet, ei in animo fuisse Canonorum, Can-
 torum, Ministrorum, Sacerdotum etiam Societatis Iesu
 augere numerum; ut sancta Domus aduenarum frequen-
 tia, pietateque auctior foret. Ad hæc Laureti pomærio
 longe, lateque prolato; muris propugnaculisque circa
 excitatis, nouam urbem, nouam condere ciuitatem, Epi-
 scopalis sede, mero, mistoque imperio, & octo finitimis
 oppidis attributis insignem. Condendæ porro ciuitatis fa-
 cilem hanc expeditamque excogitauerat viam, ut paupe-
 res familias ex omni Pontificali ditione, partim spe præ-
 miorum, partim etiam B. Mariæ Lauretanæ religione ad
 nouam frequentandam ciuitatem pelliceret: nouis colo-
 nis proximam syluam publico ære coemptam viritum diui-
 deret, ut excisa sylua; repurgatisque saltibus, agros co-
 lerent suos: ita breui, & satis frugum vini, olei nouæ ciui-
 tati fore, nec mercatores spe lucri ob loci celebritatem il-
 lectos defuturos. Hac demum ratione Lauretanæ Virgi-
 ni, & dignationis, & cultus accessurum esse vel plurimum.
 Ceterum Deo cuius *inscrutabilia iudicia* sunt, aliter vi-

somol

T sum

sum. Quippe illum præclara sua de Lauretana Aede consilia mandare litteris, quam factis exsequi maluit. Ut Marcellus Romam attigit, facile quidem euenit, quod Deo cordi erat, ut fieret Pontifex: & extitit B. Virginis fides; Pontificis tamen exstare non potuit. Is namque intra XXII. diem, vix dum inito Pontificatu excessit è vita. Pontifex egregijs consilijs magis, quam operibus memorandus. Salubria quippe eius consilia plures deinde Pontificum secuti, multis ac magnis simul Ecclesiam, simul Lauretanam Aedem præfidijs, ac muneribus adornarunt.

*Aucto Iesuitarum Collegio à Paulo Quarto, Lauretana
celebritas, & opulentia adaugetur.*

Cap. XVI.

QVorum ex numero Paulus Quartus fuit, qui Marcello subrogatus, eiusque salubribus usus consilijs non modo lapsam Ecclesiae disciplinam, moresque restituere coepit; sed Lauretanæ Domus etiam cultum amplificare institit. Pontificatus initio vetera aliorum Pontificum beneficia nouo sanxit diplomate: ædificationem sedulo iuuuit: auxit numerum Ministrorum: nihil denique prætermisit, quod ad amplificandam loci Religionem pertinere existimaret. Cæterum illud præcipuum eius munus ex Marcelli utriusque consilijs ortum, quod Societatis Iesu Collegium auctius reddidit. Nam etiam si Patres illi, qui tum erant, maiorem quam pro numero peregrinis nauarent operam; tamen sacerdotum paucitas crescenti in dies aduenarum multitudini satisfacere haud quaquam poterat: præsertim cum ex remotissimis quoque regionibus peregrini homines sermone dissoni quotidie plures confluerent, quorum plerique confessione expiari nequibant linguæ commercii expertes. Hos irritos spei, votique
domos

domos redire, haud ægrius ipsimet, quam Patres patiebantur. Igitur ea res Cardinalem Carpensẽm perpulit, vt de adaugendo Patrum numero cogitaret. Is quippe admodum lætus Collegium ab se in solo Lauretano satum, quãuis adhuc tenue ac tenerum, satis vberes pietatis, qua ferre, qua ostentare fructus, de eo impense amplificando cū Pontifice agitauit, ratus fore; id quod euenit, vt vberri-
mã frugem, auctis maturisque iam fructibus ferret. Itaq. anno huius sæculi LIII. approbante Pontifice perfecit, vt sociis duo de triginta superiori numero adiectis, XL. e Societate Laureti alerentur. Nec Cardinalis, aut Pontificis spes Societas est frustrata. Auctum per eam occasionem sacerdotibus exterarum linguarum peritis Collegium, magno & religioni peregrinorum incremento, & Lauretanae Domui emolumento fuit. Ex eo tempore omnium ferme nationum peregrini suę quisque gentis sacerdotes nacti, quibus cum libere agerent sine interprete, eorum opera Christianis etiam institutis, præceptisque imbuti, non tantum peccatis expiati domos repetebant. Lauretanae porro Aedis religio, ac res tantis subinde auctibus creuit; vt satis constet, vel aduenarum frequentiam, vel donorũ copiam solito longe fuisse maiorem. Nimirum aduenarum multitudo infinite crescebat in dies, ac multis passim agminibus per omnes vias, semitasque Lauretum vndique concurrebant. Sæpe dena nonnunquam vicena, interdum etiam tricena, eoque plura peregrinorum millia versabantur ad Lauretum, circiter natalẽ Virginis diem. Plerique autem templo, oppidoque exclusi circumiectos agros syluasque complebant.

Lauretana Aedis donis cumulatur.

Cap. XXII.

ET cum aduenarum multitudine Lauretanae Aedis opulentia crescebat. Satis constat ex eo tempore dena, duodena, quaterdena, senadena, usque ad vice-na aureorum millia in arcam quotannis ingesta. Nec vero vnquam vllus Pontificum quicquam ex arca Lauretana in suum usum vertit. Sed omnibus aequae sancta ea pecunia fuit. Duo omnino tempora inciderunt, cum aliquid inde pecuniae ad Pontifices ita peruenit, ut paulo post ab iisdem eodem rediret. Leonis X. Pontificis Duces ad reprimendas Francisci Mariae Urbinatium Ducis populationes, sex aureorum millia ex sacra arca in stipendium militare deprompserant. Id ubi cognouit Pontifex, ex templo per Piceni Quastorem B. Virgini eam summam renumerandam curauit. Clemens inde VII. sub direptionem Urbis, cum in summa difficultate esset nummaria (ut supra demonstrauimus) tria aureorum millia mutua ab Lauretana Virgine accepit: quae deinde periculo defunctus cum fide persoluit. Itaque omnis illa pecunia, quae in sacram arcam ingerebatur, in Lauretanam fabricam, aliosque S. Aedis usus erogabatur. Paulo autem Quarto Pont. ad eam pecuniam accesserunt alia dona, quae ad sacram suppellectilem pertinebant. Christi crucifixi effigies argentea iustae magnitudinis cum Caluario monte, ac simulacris B. Virginis, & S. Ioannis ex argento expressis, bina itidem argentea candelabra cubitalia, & patera argentea bilibris pulcherrime facta. Ad haec amiculum eximium Episcopale ex veste Attalica, cuius praecipuum ornamentum erat aurea ingenti specie fibula tribus cumulis margaritarum insignis, quali Cardinales Episcopi uti solent. Textilis insuper pictura Christi ortum referens ex serico, auroque mira arte perfecta, Cardinalis Carpenfis dona sunt. Ducis Urbinis vestes sacerdotis ac ministro-

Bern. Cyril.

Card. Carpenfis D.

Ducis Urbinis
natus D.

ministrorum aureæ. Par donum Ducis Epirotarum. Ducis
 item Mantuani, nisi quod hæ sunt ex auro argentoque con-
 textæ. Ducis Bouini præclarum sanctissimæ Eucharistiæ
 ferculum ex argento, pedibus angelorum simulachris
 innixum. Honorati Caetani Ducis Sermonetæ sacerdo-
 talis vestis aurea, aræque ornatus ex veste Attalica. Au-
 gustini Auricæ caput argenteum, binique sacerdotales or-
 natus ex auro textili. Margaritæ Austriacæ Caroli V. Cæ-
 saris filia egregia vestis, aræ pariter, & sacerdotis ex argē-
 teo textili crispo. Marchionissæ Vasti ciborium aureum
 bilibre, opere præclaro. Alterum ciborium egregium, sed
 distinctum columnis ex argento inaurato vxoris Ducis
 Ariani. Sacerdotis, ac ministrorū solemniter sacrifican-
 tium ornatus argenteus Ducis Mantuanæ. Denique Sa-
 cerdotalis vestis aurea insignis à tergo ingenti effigie B.
 Virginis sole amictæ, eademque auro, margaritisque distin-
 ctæ, Regina Vngariæ donum.

Duc. Epit.
Donum.Duc. Mant.
Donum.Duc. Bouini
Donum.Duc. Sermon.
Donum.Aug. Auricæ
Donum.Marg. Aust.
Donum.March. Vasti
D.Duc. Ariani
D.Duc. Mantuanæ
D.Reg. Vngariæ
Donum.

*A Gallico exercitu Lauretana Aedes cum multorum
militum salute celebratur.*

Cap. XXIII.

CAeterum exorto sub id tempus inter Hispaniæ regē
 ac Pontificem bello, nouorum armorum tempestas
 quæ turbauit Italiam, Lauretanam illustrauit Aedem.
 Dux Guisus à Pontifice euocatus annuente Franco Rege,
 instructissimas Gallorum copias in Italiam traduxerat ea
 mente, vt simul præsidio esset Pontifici, simul Neapolita-
 num reciperet regnum. Qua tēpestare religio Aedis Lau-
 retanæ, diuinaque erga eam prouidentia maxime enituit.
 Ingentes militum copiae ex varijs gentibus collectæ Pice-
 num inundarant: nec tamen Aedes diuitijs inclyta cuius-
 quam animum ad opulentæ prædæ cupidinem illexit. tan-
 ta etiam in bellico tumultu militares animos religio Lau-
 retanæ

Tradi. Laur.
Ann. Laur.
Rier.

retanae Virginis, coeperat. Quamdiu autem Guisius in Piceno statura habuit, tanti exercitus manus spectaculo potius Lauretans, quam damno fuere, Deipara clientes, non modo res suas tutante. Erant in eo exercitu permulti Calviniana peste contacti, nulla tamen cohortium, nulla turmarum omnino exstitit, quin ad primum Lauretanae Basilicae conspectum, religione tacta ad eam visendam, colendamque accesserit, vota fecerit, dona tulerit. Itaque pergebant eo pacatissimis agminibus, alij post alios turmarum, & cohortium Duces: pacatiores abibant, quam venerant, nuncupatis, aut exsolutis ante Virginis aram votis. Quin etiam in eiusdem gratiam, ante Aedem militari more ludicra inter se simulacra belli ciebant armis sagisque conspicui. Gracius deinde militaris pietas Deiparae, Deoque spectaculum praebuit. Militum plerique sacra confessione abluti, sacrosancto Eucharistiae epulo accubuerunt. Nonnulli etiam haereticorum in rectam veritatis viam reducti, eiuratisque erroribus reconciliati Ecclesiae: & confessionis, atque Eucharistiae sacramentis expiati, Deipara etiam impiorum perfidiam, in Dei cultum pietatemque vertente.

*Vtinensis ciuitas voto B. Mariae Lauretanae nuncupato
à circumserpente pestilentia prohibetur.*

Cap. XXXIII.

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Kier.*

PER idem tempus multis sane, ac varijs Lauretana Aedes est nobilitata miraculis. Vtina vrbs est Carnorum, magnitudine ac nobilitate vni Aquileiae secunda. haec maximum salutis discrimen Virginis ope discussit. Anno M. D. LV. atrox pestilentia Venetiae fines, Carnosque peruagata, magnas edebat vbique strages incolarum. Ergo primores ciuitatis Vtinensis cum serpere quotidie malum, & iam aduentare cernerent; consilium à necessitate

cessitate petunt: votoque publice nuncupato, Lauretanā Virginem inuocant, & suam ciuitatem eius committunt fidei, tutelæque. Nec illa clientium suorum vota, ac preces fefellit. Biennio quo grassata est lues, cunctis circa oppidis morbo exhaustis, (adeo præsens B. Mariæ tutela fuit) sola Vtina communis mali perseuerauit immunis. Vtinensis ergo ciuitas non in faciendis, quam in exsequendis votis religiosior, solemnī supplicatione indicta, Lauretum venit. Trecenti erant viri nobiles, quibus pulcherrima Christi Crucifixi effigies præferebatur: omnes linteati, omnes iisdem insignibus conspicui, cum donis vel publicis, vel priuatis, ad Lauretanam Aedem pariter procedebant. Limen ingressi prosternere corpora certatim humi, & collacrymantes ciuitatis suæ, ac suo quisque priuatim nomine ingentes Deo, Deiparæque grates agere cœperunt. Inde confurgentes fraternè se inuicem complexari: fletuque integrato mutuis se perfundere lacrymis. Et insignem à pietate ortam complorationem par eorum, qui aderant comploratio excepit, nullo fere spectatorum in tam pio talium virorum fletu lacrymas tenente. Ad vltimum intrant sanctissimam cellam: Deiparaque Virgine enixe consalutata, apud eam munera deponunt. In his votiuæ erat tabula egregiè picta cum titulo:

GLORIOSISSIMÆ VIRG. LAURETANÆ
OB SERVATAM A PESTILENTIA
VTINENSEM CIVITATEM, ET AGRVM.
SACRATISSIMI CRUCIFIXI SOCIETAS
POSUIT DICAVITQVE
AN. SAL. M. D. LVI.

Cæcis duobus lumen oculorum restituitur.

Cap. X X V.

Triennio post admirabilius etiam spectaculum Lauretana Virgo, & incolis, & aduenis præbuit. Senen
sis

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rier.*

sis puella erat Venetae matronae haud sane vilis, quae in
 obsequio Dominae luminibus capta, nihil penitus cerne-
 bat. Et apparebant in oculis signa, quae facerent caecita-
 tis fidem. Itaque medicorum remedijs frustra tentatis,
 Dominae iussu à mulieribus duabus Lauretum adducitur,
 haud dubia spe lumen illi redditum iri, ope ac depreca-
 tione B. Mariae. Puella igitur inter illas duas feminas au-
 gustissimam Virginis cellam ingressa, submissis genibus,
 obortisque lacrymis Deiparam enixe implorare coepit.
 Refertum erat sacellum accolis & peregrinis, qui pariter
 Virginem orabant, seu puellae misericordia capti, seu rei
 expectatione suspensi. Ecce tibi illa dum precibus lacry-
 mabunda insistit, repente hylarior facta, lucis se aliquid
 dispicere clamat; & simul eos, qui aderant, ut se precibus
 iuarent, impense rogat. Caeteris ad comprecandū Deū
 accensis, paulo post lata successu puella succlamat, iam
 cerni ab se ardentem ante Virginem faces, lychnosque.
 Enimvero ea vox accensa supplicantium studia vehemē-
 tius inflammavit: cunctorumque ex oculis lacrymas gau-
 dio mistas exciuit. Tandem puella gratulabunda exclam-
 at. iam B. Mariae effigiem, iam quae circa illam sunt do-
 na cerno. O Dei, O Deiparae clementiam: ò diuinum, &
 commemorandum utriusque beneficium. Talia inter gra-
 tulandum illa mistis gaudio lacrymis iterante, ingens or-
 ta est omnium comploratio Deo, ac B. Virgini grates agē-
 tium, quae semihoram tenuit: & plerosque etiam sacellum
 egressos secuta, superuenientium pectora pari sensu, atque
 admiratione compleuit: utique cum iidem qui modo cæ-
 cam puellam conspexerant, nunc integris oculis, ac probe
 videntem cernerent. Vix alia res eiusmodi in maiore po-
 puli frequentia gesta. Quippe secundum ferias Paschatis
 id miraculum patratum est: qua tempestate, maximo so-
 let mortalium concursu Aedes Lauretana celebrari. Ra-
 phael Riera, qui rem litteris consignauit, miraculo inter-
 fuisse se tradit, & egomet ab alijs accepti haud dubiae fidei
 homi-

hominibus, qui se tum adfuisse dicebant. Gesta res est anno huius seculi LIX. Gasparo Docto Prætoro Lauretano, qui tam evidens miraculum in tabulas publicas referri iussit. Sed antiqua simplicitate transacta res est. Nomina puellæ & dominæ (perinde ac si ad fidem miraculo conciliandam nihil admodum pertinerent) omissa; credo quod ab Evangelistis quoque in evidentibus miraculis id factitatum viderent. Minus celebre, sed nihilo minus admirabile est, quod de Thoma Parmensi perhibetur. Is ex gravi oculorum morbo haud dubie cæcus, nocte quadam acerbissimo oculorum dolore cruciabatur. Igitur alleuat se super lectum ubi iacebat: positisque genibus, multis cum lacrymis Lauretanæ Virginis implorat auxilium. Precibus adijcit votum, si lumen oculorum recipiat, se Lauretanam Domum aditurum. Exinde recubuit, ingentem in B. Virgine spem reponens. Nec sua illum frustrata spes. Mane exprorectus somno, matutinam lucem sanis oculis hausit. Extemplo igitur Deiparæ gratias agit, Lauretum proficiscitur, vota persolvit.

Nauarchus Genuensis duplici periculo eximitur.

Cap. XXXVI.

Eodem ferme tempore Lauretum alius venit duplici voti damnatus, duplicique miraculo insignis. Paulus Genuensis Nauarchus nobilis fuit. Is è Gallia Narbonensi Genuam repetebat, cum subito fæda exorta tempestas naufragio intentato, iacturam omnium mercium facere eum subegit. Cæterum procella nauim pertinacius urgente, ingens omnium animis terror incessit. Itaque vectoribus nautisque dilabentibus, ut salutem natatu peterent, solus ipse mansit in nauim, quam æquè ac se ipsum saluam vellet, fortunarum scilicet suarum caput. Onerariam ergo illam suam plenam fluctibus cernens, effusus in

Ann. Laur.
Rietæ.

V vota,

vota, & sibi, & naui Lauretanam inuocat Virginem. haud frustra. ea inuocatio, & vires illi, & animos addidit. incredibile dictu. ingenti vi moliens velum solus ipse sustollit: ac veluti suas preces auditas esse sentiret, nauigiū vndis exhaurire conatur. Inter hæc, tempestate sedata, nauis vento ac B. Maria obsecundante Genuensem tenuit portum, haud minore ipsius admiratione, quam aliorum, qui onerariam ingenrem semiplenam fluctibus vno Nauarcho nautarum omnium munera exsequente, ad portū appulsam videbant. Attamen Paulus voti compos segnior, quam par erat, in voto reddendo fuit, siue aptius subinde tempus expectans, siue alia huic negotio præuertenda ratus. Nec mora diu impunita. Vertente anno, eo ipso die (vt tempus beneficij pariter, ac delicti eum admoneret) eadem vectus naui cum paruo filio fecit naufragium. Perculit repente ægrum animum memoriæ vitati nuper B. Virginis ope periculi, & votiæ peregrinationis omissæ. Igitur effuse lacrymans à Deo veniam exorat: expertamque Lauretanae Virginis sibi, ac filio exposcit opẽ, veteris voti religionem voto fanciẽs nouo. Nec frustratæ sunt eum preces. Filiolum inter vndas quæritans saluum reperit: sublatumque in humeros per ingentem agitatis maris tractum natans ad terram transuexit incolumem, cæteris vectoribus, nautisque inter fluctus hæsitantibus, obrutisque: vt aliorum clades coeleste donum illustrius faceret. Ille igitur, vt attigit littus, non magis sua quam filiolis ex præfenti exitio recepti salute lætus procumbit in genua: idemque paruum filium facere iubet: & manantibus gaudio lacrymis, tendens supinas in cœlum manus, B. Mariæ secundum Deum gratias agit, quæ votum frustrata non sit ingrati hominis vota frustrantis. Et quoniam haud dubie iniecta exsoluendæ religioni mora nouū sibi periculum crearit; nequaquam se commissurum profiteretur, vt noua mora obesse in posterum possit. Ergo veritus ne si reuertisset domum, cura aliqua domestica Lau-

retanam

retanam moraretur peregrinationem; & simul priorem in reddendo voto negligentiam compensaturus, è vestigio contendit Lauretum, omiffa domus, patriæque reuifendæ cura. Ita precario, mendicatioque cibo se paruumque filium sustentans ad Lauretanam peruenit Aedem, insignis non magis recuperata prius nauis, quam deinde amiffo nauigio, filioque feruato: nec minus exfoluta pofttea voti religione memorabilis, quam antea neglecta.

Iuuenis innocens carcere, alter bis fufpenfus exitio, ac fupplicio liberatur.

Cap. XV XII.

HAud minus in fupplicijs, quam in fluctibus propulſandis Lauretana Virgo admirabilis per idem tempus fuit. Auguſtinus à Rocca Valdonia (oppidum eſt ditionis Senenſis) falſo crimine poſtulatuf vinculis tenebatur. Ibi cum innocens multos iam dies torqueretur, Lauretanâ Virginē, cui mirifice addictus erat, implorat. Nec irritæ preces. nocte intē peſta excitus fomno manicas ferræas, quibus vinctus erat, ſua ſpōte elapſas videt è manibus. Protinus B. Maria conſiliū, viresq. ad fugâ ſuppeditate, carceris parietē ſubruere aggreſſus cæmenta quædâ reuellit manu, ita patefacta fenestra, quæ illi effugium dedit. Cæterū duo reſtabant oſtia. quæ obſtarēt fugæ: hæc ſorte quadâ diuinitus aperta, & incuſtodita reperit. Ergo euadit in tutum, B. Mariæ munere non effugium ſolum nactus, ſed etiam perfugium. Hic imminenti, alter iam vrgenti ſupplicio exemptus. Franciſcus erat quidam Ferrarienſis, homo ruſticanus, ſed pius. Is anno ſeculi huius LVI. Picenum peragrans in Ducis Guifij, qui pro Paulo Quarto aduerſus Philippum Regem Hiſpaniæ bellum gerebat, copias incidit, a quibus de ratione itineris ſui interrogatus, ac liberaliter habitus cum litteris Galli Ducis, ad Pontificij exercitus Præfectum in thoracem infutis, certisque notis de

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rjere.*

quibus inter eos conuenerat, dimittitur rei totius ignarus. Igitur ad Anagniam Campaniæ Urbem ab excubijs hostilis exercitus interceptus, excussusque ad M. Antonium Columnam adducitur. Qui ex repertis in thorace hostium litteris, nutisque exploratorem haud dubie ratus, continuo suspendi miserum rusticum iussit. Confestim igitur ad supplicium rapitur, prosequente ingenti militum, ciuiumque Anagninorum manu. Nec tamen ille defuit sibi. Facta orandi diuini numinis potestate, submittit genua, à Deo veniam orat. Protinus Mariam Lauretanam inclamans, Non te fugit B. Virgo Dei mater (inquit) me innoxium mori, neque vlllo modo conscium istiusmodi litterarum. Proinde te oro quæsoque, tuum mihi propities filium, vt alias meas noxas, quibus grauiora commeruisse me fateor, oblitus pro sua singulari clementia, innocentiam indicio aliquo declaret meam. Hæc magna voce elocutus, fidenti animo graditur ad mortem. Eum carnifex ad furcam religatū, è scalis deijcit, ceruicibusque pede oppressis, relinquit pro mortuo. Mira dictu, visuque res. Parumper miser ille pependerit, cum fracta reste, subito corruit; apparuitque incolumis, sanusque. Sed miraculū pro fortuito casu habitum, quo deinde foret illustrius. Extemplo carnifex solidiore laqueo ceruicibus inserto, miserum illum reducit ad patibulum, obtortoque strenue collo, deturbat è scalis. Ecce tibi rursus Dei vtique ac Deiparæ nutu funis rumpitur; & Franciscus præceps ruens fracto capite iacuit semiuiuus. Tum enim uero mouit circumfusam multitudinem miseranda rustici species, admiratio nemque auxit funis præualidus sua sponte ruptus. Et simul subibant animos videntis ad supplicium preces, ac Lauretanæ Virginis imploratio. Itaque plerisque ueniam insonti, ac B. Mariæ caro iuueni deprecantibus, cœlestiū munere bis seruatum à mortalibus perdi religio fuit. Ergo M. Antonius ab insita humanitate, eximiaque in Lauretanam Virginem religione, impensius etiam quam rogabatur

batur, condonat illi supplicium. Et ciuitas Anagnina rei gestæ testimonium rite obsignatum eidem tradit. Quod ille Lauretum ad agendas Virgini grates profectus apud eam deposuit, illustre apud posteros miraculi monumentum.

Sicula mulier iugulata sanatur.

Cap. XXVIII.

Nihilominus, ac fortasse etiam magis admirabile est, quod deinceps de muliere traditur. Sicula puella (cuius nomini parcitur) meliore forma, quam fama, Venetias perducta multos ibi annos vulgato corpore quaestum fecerat, iam satis rem auxerat familiarem, cum iacta patriæ desiderio, domum aliquando redire decreuit. Ergo bonis omnibus in pecuniam redactis, familiari quodam suo comite Lauretum petit ea mente, ut deterfis inibi confessione superioris vitæ sordibus, ac Lauretana Virgine salutata, inde lætior in Siciliam pergeret. Ventum erat ad Rauennatem syluam, cum bonus ille familiaris posteaquam omnia circa tuta videbantur, prædæ spe stimulante, stricto ferro inuadit incautam. Nec tamen eam penitus fefellit. Mulier infesto mucrone se peti cernens, Virginem Lauretanam inuocat. At latro (differente B. Maria auxilium, quo esset illustrius) puellam gladio transuerberatam è iumento, quo uehebarur deijcit: deiectam insequitur, conciditque plagis B. Mariæ subinde præsidium implorantem. Ad vltimum ne qua sit reliqua vitæ spes, seminecem iugulat foedum in modum: auroque, ac gemmis ablatis, muliere insuper vulneribus confossa, recedit. Illa in suo natans cruore iam moribunda luctantem animam B. Virgiui commendabat; cum in ipso articulo haud dubiam patronæ suæ experta est opem. Repente ei B. Maria

*Anna Laur.
Rier.*

ria in veste candida se offert cœlesti emicans luce: & bono animo esse iussam benigne complectitur: moribundamque gremio fouens, simul vulnera corporis tactu sanat, simul ægrum animum cœlesti perfundit gaudio. Dein castæ vitæ admonitam relinquens, ex eius oculis elabitur. Ibitum mulier velut ex profundo excita somno, corpus suum perlustrans oculis, recentium vulnorum cicatrices iam obductas videt: mortiferam iuguli plagam persanatam sentit explorans manu. Itaque tam insigni Dei, ac Deiparæ beneficio admodum læta, submissis genibus maximas secundum Deum certissimæ patronæ suæ grates agit. Vnū erat quod liquidam turbabat lætitiā: in subucula cruenta, ac lacera à latrone illa relicta erat in sylua. Cæterum haud segnius nudæ mulieris pudori Deipara Virgo consuluit, quam cæsa consuluerat saluti. Ecce tibi illa mistas laudibus grates B. Mariæ impensius agente, præsto fuere miliones, qui illac forte transibant. Hi cruentæ puellæ, peregrinæque Lauretum (id ex ipsa cognorant) petentis speciem, nuditatemque miserati, illico seminudam centone contegunt: muloque impositam deuehunt Anconam Lauretanæ Virginis religioni fauentes. Ibi illa viliori vestitu emendicato, protinus Lauretum lætabunda contendit. Post absterlas confessione vniuersas vitæ labes, Virgini vota persoluit: passimque expertam prædicat eius opẽ, cuius haud dubio post Deum, beneficio vivebat, ex media morte ad vitam vtique reuocata. Ad faciendam rei fidem, recentem mortiferæ plagæ cicatricem ostentabat in iugulo. Et accesserat diuinitus tanti miraculi haud obscurum indicium. Circa collum cicatrix aurea monilis in modum fulgebat: vt facile diuina B. Mariæ manu plagam illam tactam, sanatamque seniores. Id vero cunctis qui aspexerunt (ex quorum numero fuit Raphael Riera, qui rem memoriæ tradidit) ingens non modo miraculi monumentum, sed etiam miraculi fuit. Porro mulier, siue Lauretanæ Domus dulcedine capta, siue Deiparæ optimè de
se

se merite gratiam relatura, Lauretum prætulit patriæ. Quippe annos complures ita inibi vixit, vt diuinis identidem expiata mysterijs Lauretanam inuiferet Virginem, plures incolarum ad Dei, Deiparæque obsequium excitans singulari innocentia, ac pietatis exemplo.

Genuensis quidam de Lauretana Domo dubitans male multatus respiscit.

Cap. XXVIII.

SVB id tempus Lauretanæ Cellæ religionem Deus in signi miraculo sanxit, ne quis ea de re posthac ambigeret. Anno M.D.LVII. Genuensis quidam (cuius nomini parcitur, vt famæ parcat.) haud obscuro quidem loco natus, sed curiosus magis, quam pius, Genua Lauretum petebat eques. Is in itinere Diaboli vtique instinctu, suspicari primo, deinde etiam credere coepit, Lauretanam Aedem non vetus esse monumentum B. Mariæ, sed nouum commentum superstitionis, auaritiæque. Cæterum impia hominis cogitatio impunita diu non fuit. Illo ipso die equus, quo vehebatur, corruens equitantem totius mole corporis oppressit adeo, vt miser ille fractus, ac semianimis sub equo iaceret in via, nullo mortalium, quia nemo aderat, opem ferente. *Dedit vexatio intellectum.* Itaque temeritate in religionem versa, B. Mariam Lauretanam inclamat. Nec frustra. Protinus expeditus equo surgit in columis. Sed prompta Dei clementia non discussit semel conceptam hominis vecordis insaniam. Breui ad ingenium rediens miraculum illustrius fecit. Paulum inde progressus, acrius instigante Diabolo, quæ de Lauretana Aede mirabilia ferrentur, vana esse omnia omnino in animû induxit suum. haud impune. Iam Lauretana Aedes in conspectu erat, cum animi cæcitas redundauit in corpus, offusa ocu-

*Anna. Laur.
Rier.*

sa oculis caligine: ac repete eum vires deslituunt haud satis compotem mentis. Ergo trepidus, & attonito similis cum regere nequiret equum, ab equo ipso prouectus Lauretum ad proximum hospitium sistitur. Ibi linquente; pene animo, defluens ab hospite excipitur: atque inter manus in cubiculum delatus collocatur in lectulo. Tum vero manifestam iram Dei bis in eodem itinere expertam intentius animo reputare, & ex praesenti luminum orbitate grauiorem insuper cladem extimescens, vbertim flere coepit. Is metus saluti fuit. Diuino subinde tactus numine respiscit: & receptum poenitenti ad expertam Virginis clementiam tutum fore sperans, veniam a Deo Deiparaque exposcit: proficitur ac vouet, in posterum semet haud secus de Lauretana cella, quam Christianus orbis crederet, crediturum. mirabile dictu. mentis lumen oculorum lux cosecuta est. Igitur ad Lauretanam pergit Aede: & vitae maculis sacra confessione absterfis, augustissimam intrat cellam: B. Virginem enixe veneratur, laetus illam ab se cerni ijs oculis, quos nuper eadem irata amiserat, placata receperat.

Sacrosancti Sacelli violatores diuinitus

suae audacia poenas luunt.

Cap. XXX.

*Anna. Laur.
Rict.*

SVbinde etiam in sacrosancti sacelli violatoribus evidens Dei numen apparuit. Anno huius seculi circiter LVIII. vir quidam ex praecipua Italiae ciuitate nobilis in primis, & copiosus (nomen & hominis, & patriae silentio supprimitur, quia ipse suppressum voluit) Lauretum venit, documentum haud inultam temeritatem talia audentium esse. Hic multis ante annis exiguum lapidem ex sanctissima Virginis cella subtractum domi suae asseruabat omni honore, cultuque. Haud tamen ille cultus coelestem

Iestem leniuit iram. Sed Deo matris suæ iniuriam vindicante, miser ille sacrilegam religionem orbitate filiorum, & amissione fortunatum omnium luit. Ad hæc pertinaci magis, quam pernicioso morbo vrgeri, vexarique cœpit. Itaque vt erat vir cæteroqui prudens, ac sapiens, aperuit aliquando oculos: & Deum profecto alicuius sui sceleris ultorem adesse sensit. Cæterum & si omnia sibi accidere videbat apte ad repræsentandam iram diuini numinis, tamen quo tandem suo merito illa accideret, non videbat. Ergo ab ægritudine simul corporis, animique anxius, omni ope placare nitebatur iratum Deum. Sed iræ materia apud eum quamuis ignarum residens, irrita omnia faciebat. Alia deinde spes, postquam hæc vana euaserat, ei affulsit. Lauretanæ Virginis, cui mire adductus erat, memor, eius auxilium pariter, & consilium implorat. Nec mora B. Mariæ monitu discit, lapidem ex Lauretana domo sublatum causam esse coelestis iræ: eamque non nisi sacro lapide restituto posse placari. Tum ille ob ortis lacrymis, religiosæ, vt crediderat, audaciæ veniam à Deo Deiparaque exposcens, desiderauit ipsemet referre Lauretum quod abstulerat. Nec in irritum preces cedere: hoc quoque culpam agnoscenti suam Deipara indulgit. Ex templo igitur depulso morbo alacer pergit Lauretum, saxum restituit, vota persoluit. Aliud quoque per id tempus huic haud absimile accidit. Femina ex agro Piceno post diuturnum matrimonium, nullos genuerat liberos. Hæc eius animum cura angebat maxime; vt vndique sterilitatis remedia quæreret. Ergo ait illi nescio quis mulieris gratiam initurus, nullum remedium præsentius ad abolendam sterilitatem, quam Lauretanæ domus reliquias pie, religioseque custoditas: si quid inde abstulerit, breui eam matrem fore pollicetur. Id non promissum magis stolide, quam creditum. Illa igitur manifesta Dei vltoris ira, ablatum inde lapidem cum febris domum retulit: & ægritudo corporis animum vrgebat; adeo non vehementius febris æstu, quam conscientia iactabatur. Nec

prius ex iactatione illa conquieuit, quam Laureto Sacerdorem acciuit, & lacrymas poenitentiae indices profundens ablatum reddidit lapidem. Poenitentiam valetudo, non tantum venia est consecuta. Magno etiam Illyricis mercatoribus similis audacia stetit. Hi coepto ex Picentibus frumento, saxum ex Deiparae cella surreptum clam in onerariam abdiderant. Caeterum, vt fallerent homines, sacrilegij vindicem Deum non fefellerunt. Profectos ex portu atrox vis tempestatis subito adorta in ingentem adduxit metum: & trepidos vasorum, merciumque iacturam facere subegit. Haud procul exitio res erat, cum Deum parentis suae ultorem adesse senserunt: & flentes, tendentesque in coelum manus veniam pariter orare coeperunt. Placato precibus, ac lacrymis Deo, mare quoque placatur. Illi periculo erepti retro iter flectunt: ad Lauretum appellunt: lapidem Virgini restitunt. Prospero inde cursu in Dalmatiam prouehuntur. Peregrinorum quoque nonnullos, qui aliquid indidem seu lapidis, seu calcis abraferant, abeuntes morbus, velut diuinae prouidentiae lictor corripuit, nec ante eos dimisit, quam regressi cum lacrymis, & confessione temeritatis suae, ablata Deiparae reddiderunt.

Sacrae cellae expilatores diuinitus comprehensi afficiuntur supplicio.

Cap. XXXI.

Caeterum his, quos religionis species deceperat, leniorem se diuina seueritas praebuit: aliorum, quos auaritia in fraudem impulerat, audaciam grauius vindicauit. Per eadem tempora nonnulli Lauretanæ Domus ministri, ex composito sacros thesauros compilarant, quos à compilatoribus tutari debuerant. Sed celeriter Deus in fandum sacrilegium debita poena est persecutus. Iam res omnes in nauim conditas occulta asportabant fuga, cum agri Piceni oram praeteruectos aduersa tempesta reiecit eo, vnde conscenderant. Itaque in Recinetensium potestatem

*Sima. Laur.
Hier.*

statem delati, in manifesto scelere deprehenduntur. Nec mora, prodendi exempli gratia, ne quisquam in posterum talia auderet, pro Aede Lauretana suspensi, nefarium sacrilegium foedo supplicio luunt. Verum fallendi spes alios ad simile facinus subinde pellexit. Haud ita multo post facinorosum hominem cupido incessit sacrosancti sacelli furtim expilandi. Is igitur sacrilegi conatus socium idoneum nactus, ferramenta parat quibus valuarum, & arcæ nummariæ seras aperiat. Omnibus in eam rem paratis, intra Virginis cellam solerter occulit se. Inde nocte concubia sacrilegium exsequens, sacra dona aurea, argenteaque congerit vnum in locum: mox arca, & sacelli foribus patefactis, templi quoque valuas molitur. Tandem his quoque refractis, circumspicere coepit quærens oculis adiutorem sceleris, qui in templi vestibulo (sic enim conuenerat) illa ipsa hora præsto esse debebat, sacra dona, nūmosque in destinatum locum abditurus. Ecce tibi dum intentius circumspectat, armatorum agmen (coelestium manum ante Aedem Virginis excubantium fuisse, creditum est) adesse cernit. Quorum inopinatus aspectus tantum illi terroris incussit, vt clausis propere valuis, abderet se, ratus caput suum ab illis peti. Cæterum infelix perfunctus (vt credebat) periculo, stimulante auaritia rursus audere coepit. Igitur cum iterum, ac tertio patefactis templi foribus, socium sceleris quæriraret, semper ei coelestis illa manus infestis occurrebat armis: ac trepidum effusa fuga compellebat in templum. Ita per spem, metuque nocte absumpta, tandem de salute magis, quam de præda sollicitus, irritò incepto abire statuit. Iamque appetente aurora, per auersam templi portam capebat fugam; cum coelestium excubiarum, quas diximus, occurso territus, in sacrosanctam cellam refugit. Manebant adhuc manifesta sacrilegij incepti vestigia, vt qui locus facinoris testis fuerat, etiam index foret. Superuenientibus igitur sanctissimi sacelli custodibus, valuæ refractæ, sacra dona congesta, haud leuibus argumentis il-

lum suspectum sacrilegij fecerunt. Nec mora trepidans, conscientiae notis prodentibus conceptum nefas, comprehenditur, quaestione habita, rem omnem confitetur: cum sceleris conscio merita poena afficitur, haud leue diuinæ prouidentiae erga res Lauretanas documentum.

Duo adolescentes Daemonum seruitio eximuntur.

Cap. XXXI.

Porro alij facinorosi homines, ac pene ad extremum perditum, Lauretanæ Virginis ope ad honestam vitam, viamque salutis reuocati. Adolescens erat non genere magis, quam vitijs nobilis. hic in rixa graue vulnus in genu acceperat, irato Deo. Proinde nequicquam curare plagam prius, quam coelestem iram placare coepit. Iam in medicos, ac medicamenta bonam rei familiaris insumpsit rat partem: & curatio ad grauioris incommodi metum, quam ad vllam bonam spem pronior erat. Ad vltimum ingens animum eius formido incessit, seu maturi exitij, seu perpetuæ imbecillitatis. Itaque damnata medentium ope, ad Lauretanam Virginem pariter spem, ac vota conuertit. Ac resipiscens lacrymis poenitentiae testibus Dei delinit iram: Deiparæque auxilium implorat vouens, si discrimen illud euaderet, Lauretum se cum donis ad agendas illi grates iturum. mira dictu res. Hæc ingenti animi sensu elocutus, repente perfanato vulnere, recuperat corporis sanitatem. Cæterum homini ingrato, ac dissoluto redita salus pene exitialis fuit. Tanti beneficii immemor non sat habuit votum fallere, nisi etiam valetudinis beneficio ad pristinam vitæ licentiam abuteretur. Namque in deteriora pronus, luxuriæ impensius indulgendo eo demum processit, vnde receptum ad poenitentiam vix haberet. Adeo *novissima eius facta sunt peiora prioribus*. Actum de illo erat, nisi perditum hominem Deus respexisset: coelestique ope reduxisset in salutis viam. Tacitam subinde vocem audire visus iubentis ire Lauretum, & primo quoque

*Ann. Laur.
Rier.*

que tempore votum, cuius damnatus erat, exsoluere; tandem paruit. Lauretum igitur profectus Deiparam muneribus colit. Sed non parua dictu res votiux peregrinationis fructum præripiebat. Venus quippe vsque eo deuinxerat illum sibi, vt adhuc in eodem hæsitans luto, quamuis Deo manum porrigente, ad sacram confessionem aspirare non sustineret. Ergo stimulante conscientia, nunc sacram Virginis Aedem, & destinatum sacris confessionibus locum obire: nunc templi formam, ac votiuas tabellas ex parietibus pendentes otiose contemplari: modo impulsu mali Dæmonis templo exire: modo diuini numinis instinctu eodem redire: insanum, ac mente captum diceres. adeo illum aliàs consilij, aliàs poenitentix ipsius poenitebat. Et iam vix sui compos æstuabat animo pariter, & corpore; vt qui neque sacerdotum aspectum, nec conscientix stimulos ferre posset. Iam consilij anceps, anxiusque per hæsecuras triduum extraxerat, cum Dei Deiparæque benignitate, noua illi spes salutis affulsit. Intererat forte rei diuinæ, cum vocem è coelo missam sibi audire visus est, cunctationem eius increpantis, iubentisque vnum è paratis Sacerdotibus aliquando adire: & noxis expedire animum cum proposito vitæ melioris. Perculit ea vox obstinatum animum, flexitque. ita demum victus, seu magis victor, mutata subito voluntate, facit imperata. Et libidinis coeno aliquando emerfus, ingenti vi lacrymarum vniuersas vitæ maculas eluit. Protinus coelesti, vt fieri solet, gaudio alacer ingentes Deo, ac Deiparenti grates agit, à præfenti corporis & animi periculo bis eius ope liberatus. Alterius iuuenis par conditio, nec dispar exitus fuit. Is inluxum, & ea quæ luxum sequuntur, effusus, breui opes paternas in flagitia, ac dedecora vitæ absumpserat. Dumque secum ipse nequitia, & improbitate certat, eo res tandem venit, vt non mortalibus magis, quam infernis monstris ludibrio foret. Horribiles ei Dæmonum facies occurfabant, quæ contemptim illum, velut mancipium suum accipiebant plagis. Nec corpori solum, sed animo quoque infeli-

infelicis adolescentis insultabant, subinde eum territantes indignis modis: credo ut illum ex malorum mole desperatio incesset. Adeo crudelis, atque importunus est in flagitiosos homines Dæmonum dominatus. Itaque miser undique iam malis oppressus, prope iam desperatione torpebat; cum oblata subito lux eum ad spem salutis erexit. Namque æstuanti, circumspectantique coeleste auxilium, Lauretanæ Virginis, de cuius vi, ac benignitate mira multa inaudierat, memoria occurrit. Igitur subeunte animum pariter impuræ vitæ poenitentia, obortis lacrymis Deiparam inuocare: Deum per eam placare: coelestes iras auertere omni ope coepit. Sed salubre consiliū capessenti extemplo inferna illa obstabat manus, quæ contemptu in odium verso, miscens verberibus minas, à pio proposito absterrere hominem, & abstrahere conabatur. Cæterum vicit tandem Diabolicam importunitatē Christiana constantia. Adolescens Deiparæ tutela fretus decreuit rem bene coeptam perseueranter tueri. Prostrato igitur ante benignissimam patronam suam animo, non tantum corpore, spei, ac fiduciæ plenus aduersus infernas belluas eius præsidium implorare institit rogitans, ut miserrimæ seruitutis iugum ab suis ceruicibus aliquando depelleret, quò ipse iam liber Lauretum ire, & rite expiato foribus animo, meritas liberatrici suæ grates agere posset. Nec spes, precesque incassum cecidere. Extemplo diuina vis, oblata spe coelestis auxiliij, & supplicem illum ingenti gaudio compleuit: & importunos illos vexatores procul abegit. Auditæ frementium voces, & simul inuitis expressa confessio: Nihil se posse contra Mariam. Ergo ille vix præ gaudio sui compos, impigre Lauretum, uti vouerat, tendit. Ibi omnibus vitæ maculis confessione sacra elutis, Deo ac B. Virgini grates impense agit: & nonnullis Sacerdotibus (ex quorum numero Riera fuit talium rerum auidus in paucis) coeleste beneficium lætus enarrat.

Iuuenem

*Iuuenem in seruitutem assertum à Dæmone liberat,
chirographo restituto. Cap. XXXIII.*

Alium porrò iuuenem Lauretanæ Virginis tutela
seruauit, quem in præcipitem locum libido insana
prouexerat. Hic vt erat proiectæ cupiditatis audaciæque,
in vetitas se effuderat voluptates. Expugnato multarum
matrum familias pudore, immodico mulieris cuiusdam a-
more flagrabat: qua cum nec prece, nec precio, nec vi, do-
loue potiri liceret; vltima experiri statuit. Igitur concilia-
tum magicis cantionibus Dæmonem rogitat, vt se voti cõ-
potem faciat, ad omnia se descendere paratum ostendens,
si eo quod expeteret, frueretur. Diaboli ergo iussu à Chri-
sto deficit: seque totum illi dedit, traditque. Super hæc
omnia iurat conceptis ab illo verbis, & chirographo suam
obstringit fidem. vsque eo impuras mentes voluptatis a-
mor excæcat. Cæterum, vt potitus est, quod cupierat; fe-
cit, vt fit, fastidium copia: & coelesti luce oborta, magni-
tudinem sceleris sui fera æstimatione perpendit. Ergo po-
steaquam animum curis anxium poenitentia subiit, ad
veniaæ spem erectus, coelestem opem spectare, Deum Dei-
que parentem implorare coepit. Inter hæc occurrit ani-
mo Virgo Lauretana, eiusque ædis Sacerdotes amplissima
facinorum expiandorum autoritate præditi. Protinus
Deo authore, ac duce Lauretum petit, haud dubius quin
inibi esset tantis malis remedium inuenturus. Nec sua il-
lum frustrata spes. Lauretum vt venit, Sacerdotem ido-
neum nactus, re omni exposita, consulit, ecqua sibi spes
sit reliqua salutis. Ille primo sceleris atrocitate exterritus
paulisper hæsit: deinde immanitate facinoris demonstra-
ta, ita spem illi salutis ostendit, si precibus, ieiunijs, vo-
luntariaque corporis vexatione Deum placare penitus in-
sistat. Cum ille nihil omnino poenarum recusaret; pro-
misit Sacerdos, si imperata fecisset, se faciles aures ei da-
turum, & tantum piaculum Deo propitio, vtrique expia-
turum. In digressu hominem monet, vt per triduum ine-
dia,

*Ann. Law.
Riera.*

dia, cilicio, flagris corpus afflicteret. B. Virginis opem implorans: per eam à Deo veniam exposcat: se eodem triduo rem diuinam pro ipsius incolumitate facturum. Et vtrinque exstitit fides. Ita triduo extracto, Sacerdos optimum ratus est ante absolutionem, chirographum à Dæmone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet. Proinde hominem ab se dimittit monitum, vt augustissimum facellum ingressus precibus, lacrymisque Deiparam vsque eo fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille suæ salutis, securitatisque auidus, haud dubia spe, id se deprecatione Deiparæ Virginis impetrare posse. Ergo prostrato ante Virginem corpore, lacrymans obnixè eam precatur, vt recepto illo nefario chirographo, saluti incolumitatisque suæ consultum velit, ingenti miraculo voti compos efficitur. Versiculos illos ex animo iterabat. **MONSTRA TE ESSE MATREM: SVMAT PER TE PRECES, QVI PRO NOBIS NATVS TVLIT ESSE TVVS.** Talia precatus subito chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaque vix sibimet ex inopinato gaudio credens, integrato fletu grates Virgini enixius agit. Inde facello egressus lætitiâ exultans ad sacerdotem accurrit: receptum Deiparæ beneficio scriptum ostendit. Id erat tot tantisque in Christum, atque in ipsum, qui scripserat, diris & execrationibus refertum, vt facile appareret à sempiterno humani generis hoste dictatum. Verumtamen tantum vinculum omni diabolica fraude potentior vis diuina dissoluit. ita deuotum illud inferis caput, Deiparæ benignitate, afferitur in *libertatem filiorum Dei*: ne quisquam omnino quamuis facinorosus ac perditus, si modo ipse perire nolit, de sua salute desperet; ne cuiquam in dubium veniat Dei clementia, quæ vltro matrem suam reis patronam dederit ad salutem.

FINIS LIBRI TERTII.

HORÆ